





V. FAUSTI
ORATIONES
ALDINI
I
5
41













BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
ALDINI
I
5
41
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Ioannis Nencini
1874










VICTORIS FAVSTI VENETI ORATIONES QVINQVE

Eius amicorum cura quàm fieri potuit diligenter impressæ.





Ne quis librarius has orationes impune suis typis imprimat, alibi'ue impressas uendat, amplissimi Senatus Veneti decreto cautum est.

PETRO FRANCISCO CONTARENO THADAEI F.

Non temere, aut casu aliquo contigisse, sed fato, aut potius diuino consilio factum arbitror Petre Frácisce Contarene, ut Victoris Fausti scripta, in lucem, tua potissimum opera, & authoritate prodirent. quum. n. tu uiuentis ingenium, siue ille ex bene tum dicendi tum scribendi ratione atq; exercitatiõe, siue ex architecturæ ratiocinatione atque operibus laudé quæreret, unus omnium maximè foueris & erexeris; dignum tua ista grauitate ac constantia fuit, ut uita perfunctum pari item officio & pietate tuereris. uiuentem. n. diligere, eius est, qui aliqua modo familiaritate teneatur; mortuum uero fouere, non nisi summæ pietatis est. atq; ideo siquis eorum quæ hic fiũt, mortuis sensus est, nulla re magis quàm hac ista ipsa pietate, ac officio tuo illũ lætari crediderim. ea. n. quæ antehac præstitisti ad breue quoddá uitæ solatiũ pertinebant: hæc, ad perpetuam gloriam & immortalitatem spectant. et illorum quidem, sola eius qui accepe-

rat teſtimonium potuit exhibere cōſcientia: huius præclari facti tui, quod hominem fati iniquitate nobis ademptum, in uitā reuocare, & mortui memoriam immortalitati ſtudeas cōmendare, teſtes erunt quicūq; hæc legent. legent autem eruditi omnes, & tibi gratias agent, ſimulque etiam ſtudioſe prædicabunt, Andream Franciſcium reip. ueſtræ magnum Cancellarium, non minus hoc præclare quàm cætera omnia præſtitiſſe: quod tanti uiri ſublime & ad omnia natum ingenium admiratus, has quaſi funeris eius reliquias tecum colligere, & eius memoriam, qui diuturna erat uita digniſſimus, haudquaquam tam exiguo uitæ huius ſpatio terminari uoluerit. Fuit omninò Fauſtus, is qui, ut probè noſti, tum genere ipſo, tum rei familiaris tenuitate, facile potuerit eſſe ſemper obſcurus, niſi uno tantum atque eo magno ingenio repente clarus extitiſſet. iam inde à prima pueritia latinarum litterarum, atque adeo græcarum ſupra etiā quàm credi poſſit, cupidus ac ſtudioſus. nullum certe paulo clarioré aut rhetorem, aut mathematicum, aut philoſophum ea ætas tulit, quem ille, quantum res domeſtica patiebatur, non aſſectari & audire contenderit. Hieronymo tamen Maſerio excellentis doctri-

næ uiro, qui publice hac in urbe tum profiteba tur tam aſſiduus comes hæſit, ut ab illius late re nunquam diſcederet: atque eum ſibi docto rem à fortuna eo datum arbitraretur, à quo ita ipſe græce diſceret, ut deinde alios docere faci le poſſet. uerum ut adoleuit, non contentus hac domeſticæ diſciplinæ laude, orbem terrarum peragrare in animum induxit, ut nō ſolum græ cas litteras quaſi toto orbe fugientes perſequere tur, ſed & prudentiam illam ac rerum uſum cō pararet, qui non aliunde facilius quàm ex lon ga peregrinatione proficiſcitur. itaq; sūma ſem per & ubiq; diſcendi cupiditate, non omnē mo do Italiam, atque omnes maris noſtri inſulas diligenter inſpexit, ſed Hiſpaniam quoque ac Gallias, & Germaniam, maiori ex parte pera grauit: atque illarum gentium mores, & urbes, & in iis eruditiſſimum quenq; cognouit; maxi mumq; ex conſuetudine conuictuq; hominum, ut optabat, rerum uſum, & multiplicis doctrinæ augumentum adeptus eſt. quod facile apparet, uel ex una illa oratione quā in funere Franciſci Rubrii oratoris regii publice habuit: qua tā ac curate Galliæ mores & inſtituta, regis cultum ac potentiam, & totius regni adminiſtrationem ex plicat, ut facili oſtendat, prudentiam à litteris ha

bere parum adiumenti, nisi ad eam rerum usus, & uariarum gentium accesserit cognitio. quod scilicet hinc fieri soleat, ut, quæ alii legerint ipsi uideamus; quæ in libris sunt, in his uersemur; ne q; scriptis quæ falsa plerunq; deprehenduntur, sed rebus ipsis quæ nulla ratione inuerti possunt, erudiamur. iam uero, quasi Vlysses Homericus, aut Aeneas ille, quum aduersa multa pertulisset, in Balthassaris Scipionis, uiri omni doctrinarum genere & disciplinæ militaris cognitione clarissimi, contubernium honorificis conditionibus accitus est. cui non solum in litteris iucundus fuit, uerum etiam & in scribendis epistolis, & in re militari tractãda, ita fidelem & fortem operam nauauit, ut ex multiplici sciẽtia, iure omnium horarum amicus & comes haberetur. et, ut erat idoneo ad omnia ingenio, rei militaris disciplinam, quam ex ueterum præceptis, & uariarum gentium historiis legendo pridem attigerat, agendo penitus percepit; sibique apud Liuianum imperatorem, qui his maxime studiis tenebatur, summam laudem comparauit. iamq; usu, & rerum scientia clarus, nemini æqualium suorum secundus, adeo suaui oratione, quocunq; libuerat, hominum mẽtem animumq; flectebat, ut principes uiri, dulci ac iucũ-


do ſermone de rebus maximis differentem, nõ hilari tantum animo, ſed etiam diſcendi cupido libenter audirent. quum interim ii amici, quibus neq; hortantibus, neq; rogantibus deeſſe poterat, à Martio illum opere ad Muſarum otia, & à caſtris in urbẽ reuocarunt; quod eũ haud paulo plus patriæ rationibus utilem fore iudicabãt. tunc. n. forte Marcus Muſurus repudiato græce in hac urbe profitendi honore, Romam, præter omnium expectationem, ad Leonem pontificẽ maximum inani cupiditate, atque ambitiõe ductus, accurrerat. at ciuitas ſolicita quærebat quẽ idoneum illi ſucceſſorem daret. ibi Fauſtus ab amicis impulſus, ſui periculum in græcis litteris ita fecit, ut acceptam de illius uirtute omniũ animis opinionem, non confirmaret ſolum, uerum etiam augeret. honorem græce profitendi cunctis patrũ ſuffragiis adeptus, fauente iuuẽtute, multos ea in gloria annos ita floruit, ut nemo id munus honeſtius obire poſſe uideretur. neq; tamen uerſatile illud & inquies ingenium hic potuit ſubſiſtere, ſed quum à prima ætate mathematicas rationes imbibiſſet, & architectura mirum in modũ eſſet delectatus, animum ad eadem ſtudia longo interuallo penitus reuocauit: quum in hac quoque diſciplina, quæ liberalis

eſt,& ingenuo digna,primum locum ambitioſe appeteret. neq; ſua illum cupiditas, aut ſpes feſellit. hic.n.ſe mirabilem planè præſtitit. et quoniam in celebri illo & admirabili ueſtræ reip. nauali, propè dixerim natus erat, & hac parte uobis ſe utiliorẽ fore credebat, ad ædificandas naues animum adiecit: &, ut erat ingenio perſpicaci,multa ipſe inuenit, atque in iis nouæ cuiuſdam ac propè indiſſolubilis contignationis genus; multa ex ueterum architectorum placitis in uſum reuocauit;ac primus omnium apud nos intermiſſũ multis antea ſeculis uſum quinqueremis reſtituit. de qua ratiõe, aduerſus publicos architectos,adeo probabiliter apud patres diſputauit,ut quod illi fieri poſſe pertinaciter negabant,id ille non modo fieri poſſe,ſed utile etiam reip.futurum oſtẽderit;et publico ſumptu, cunctis admirantibus, quinqueremem illã ædificauit, qua nullum toto mari noſtro nauigium uel ad aſpectum pulchrius,uel ad celeritatem uelocius, uel ad pugnam accommodatius ac firmius hodie ſpectatur. à qua una reliquæ omnes,quotquot hodie uſquam quinqueremes ſunt,quaſi ab archetypo quodam effictæ formatæque ſunt. ex quo tempore uberiori ſtipendio auctus,in ſummo honore atq; authoritate non

ſolum apud patres & uniuerſam ciuitatem, ſed apud omnes principes ac reges fuit Fauſtus. Leguntur Ariſtotelis mechanica multo diligentius ac uerius quàm ab ullo, uel ante eũ uel poſt eum tranſlata; quæ proxime ita rurſum uertere aggreſſus fuerat, ut & alios prorſus omnes & ſe ipſum uinceret. quod opus commentationibus, & pulcherrimis machinarum omniũ ſchematibus locupletarat, & tum habebat in manibus iam iam æditurus, quum immatura morte præreptus eſt. quod tamen qualecunq; eſt, ſi, ut ſperamus, in lucem protrahere aliquando potẽrimus, nihil dubitamus quin omnes intelligant, illum, ſi diutius uixiſſet, plurima ac longe maxima architectonicæ diſciplinæ adiumenta allaturum fuiſſe. Nunc, quinq; illius orationes lõge pulcherrimas, ab iis, penes quos delitefcebãt, amicorum induſtria, & authoritate tua impetratas, & typis expreſſas, tibi potiſſimum Petre Frãciſce Contarene dicandas iudicauimus; qui ſenatoria prudentia clarus, nec tàm ætatis quàm uirtutum prærogatiua commendatus, ita remp. adminiſtras, ut, tum conſilii maturitate, tum iudicii ſeueritate, dignus ſis, cui ampliſſimorum magiſtratuum munera, primo quoq; tempore certatim deferantur. præcellentis porrò do-

ctrinæ laude eò progreſſus es, ut unus omnium de ſcriptis alienis optime poſſis iudicare. Id autem eo libentius fecimus, ut & Fauſti ipſius manibus gratificaremur, qui ſi uiueret, nulli potius quam tibi fœtus ingenii ſui conſecraret; & patria, præter alia tua in ſe merita, hoc quoq; ſe tibi debere cognoſceret, quòd alumni ſui paſſus non ſis perire monumenta.

Orationum Index.



VICTORIS FAVSTI ORATIO

QVA GRATIAE AGVNTVR PRO IMPETRATO GRAECE PROFITENDI HONORE.



VOD sæpe à diis immortalibus precatus sum, clarissimi patres, tum inter peregrinandum terra mariq́; , tum eo potissimum tempore, quum in uestris castris agebam, ut siquid in me esset cum publica utilitate coniunctum, patriæ reseruarent, eiq́; me totum, ubi opus esset, impéderent: id hodie, tam eorum consilio, quàm uestra singulari pietate factum esse cognosco. neque enim illi, ut arbitror, tantam mei curam gerere uoluissent, ut, quæ meæ preces essent, & pericula euaderem, & patriæ tandem aliquid præstare possem, nisi me uobis gratum atq; acceptum fore uidissent. est igitur, quòd ego uos patres, dum luce hac perfruar, secundũ deos colam, atq; suspiciam: quippe qui tot ac tanta in me beneficia contulistis, ut, quoties ea mente complector, tanta undique admiratione offundar, ut è uestigio sensus omnis cadere uideatur, lingua hebescat, nec ulla pars mei suo

fungatur officio nisi sola memoria. nam quæ tanta ingenii uis, & quæ tam felix eloquentiæ copia in homine ullo esse potest, ut, quæ simul effecere tot maximi atq; amplissimi uiri pro se quisque uario uirtutum genere usi, unus ipse & cogitando percipiat, & dicendo plena oratione consequatur? etenim in eo, quòd me ita ornastis, ut non modo summis honoribus auctus sim, uerum etiam uobis & mihi ipsi restitutus, partim uestrum spectanda est incredibilis quædam ac prope diuina benignitas, partim mira humanitas, partim maxima probitas, omnium autem summa iustitia. at uero mihi in ea animi fluctuatione, id salutaris auræ quasi ab intimo cordis sinu uidetur afflare, quòd, tametsi maxima grauissimaque officii mole obrutus sum atque oppressus, tamen uos eo animo esse animaduerto, ut, quemadmodum in dandis uestris beneficiis ob magnitudinem, multitudinem, firmitatemq; prope diuinis, non quid alios, sed quid uos maxime deceat, spectandum putatis, ita etiam in accipiendo, non quid uestræ amplitudini, uestroque splendori conueniat, sed illud præcipue consideretis, quid cuiusque eorum fortunæ possint, à quibus gratia referatur. insuper &

altero quodam uelut ſecundo releuor flatu, quoniam, non ſolum quicquid ego ſum, aut eſſe poſſum, uerum etiam omnia mea, ueſtra cenſentur: quo facile poteſt intelligi, quæcunque a me proficiſcantur, uobis perquàm grata eſſe debere: utpote quæ non aliunde quàm a nobis metipſis in uoſmet ire uideantur. accedit eò uetus quædam in uos amoris & obſeruantiæ meæ conſcientia: qua ſic ſoleo delectari, ut metuam, ne quid interim de ſummo conatu habendæ ſaltim gratiæ remittatur; atque ita metuam, ne deſperem fieri poſſe, ut, quantum in me eſt, meritis ueſtris quandoque reſpondeam, quatenus ſatis gratiæ referre uidetur is, qui, quum beneficium remunerare non poſſit, eorum, quæ acceperit memor ſit, ac eadem ſæpe commemoret. & certe, ſi uelitis in memoriam reuocare, quàm multis me commodis affeciſtis, nullum hodie mortalem eſſe putabitis, qui uos maiori ſtudio, maioriq; beneuolentia proſequatur, quàm ipſe, ut debeo, & priuatim publiceque debere profiteor. quis enim unquàm tota barbaria, tam obſtinato ingenio, tam exquiſita immanitate repertus eſt, ut nullum monumentum ſuæ gratitudinis ederet, ſi, perinde atque ego, ue-

ſtram animi magnitudinem, ueſtram munificentiam, bonitatem, æquitatemque ſenſiſſet? ſiquidem nemo, ut arbitror, eſt adeo rerum ignarus, qui id neſciat ueſtræ eſſe clementiæ, quod mihi ætatem, quæ reliqua eſt, eodem in ſolo agere liceat, ubi primum dulces auras ore concepi, lucemque iſtam oculis hauſi, ubi debili gradu paulatim caput hoc ſublime ferre condidici. magnum eſt hoc beneficium patres, magnum atque immortale, quod uobis uel hoc ipſo nomine debeo. nam ſi tanto magis uera ſolidaque uoluptate afficimur, quanto gratius aliquid obtinemus: profecto par eſt, iis plurimum debere fateamur, qui nobis cariſſimæ ac optatiſſimæ alicuius rei copiam faciunt. at nihil eſt natali ſolo iucundius, nihil ſuauius, nihil cuius præſentia magis delectemur, quodque ubi amiſimus, maiori cum auxietate quæramus. multum ſanè parentum aut liberorum deſiderio premimur: ſed nihil ad eum mœrorem, quo, ſi nobis patriæ interdictum ſit, diu noctuq; cruciemur. illos enim amiſſos multi populi multæque nationes minime lugent, nonnulli per annum id agunt, alii aliter, omnibus tamen parui temporis ſpacio cariſſimi cuiuſque defuncti dolor

extinguitur. exul uero quantumuis ſenex, donec animam efflet, ad patriæ nomen ut in acerbiſſimo uulnere ſuſpirat. Certe, quemadmodum ea non cupimus, eorumq; nullo amore tenemur, quæ nobis ſunt omnino ignota: ita etiam iis neſcio quo pacto magnopere gaudemus, quibus iam pridem ſumus aſſueti. ad hæc unicuique natura inditum eſt, ut eos in primis colat, ac ſumma ueneratione dignos putet, qui ſibi propitii boniq; alicuius auctores eſſe uideantur. & ideo magno omnes patriæ amore flagramus: quippe qua nihil prius neque uidemus, neque cognoſcimus: qua hominibus annumeramur: qua educamur tanto labore: qua inſtituimur pro ſua quiſque fortuna. hæc nobis humanæ uocis uſum largitur, quo uno, ad omnia perdiſcenda uidemur idonei. hæc dulciſſimum illud patris nomen, ac item matris, fratrumq;, & aliorum ſuauiſſimas appellationes, in ipſo lucis ueſtibulo quaſi obuia porrigit: quod utique munus omnes homines tanti eſſe exiſtimant, quanti eſſe non poſſint, quæ poſtea toto uitæ curriculo conſequantur. quid multa? nemo unquàm neque uirtute, neque fortuna, quicquàm adeptus eſt, quin aliquas gratias ob eã rem patriæ habendas eſſe

fateretur. quum autem ex omni peregrinatione, patrii amoris argumenta ducantur, quàm ingens sit, quàmque tenaciter mentibus nostris inhæreat; precipue tamen id animaduertere est in iis, qui aut maris, aut belli difficultatibus conflictantur. etenim nautæ, cæteriq; uectores, ubi de africo cœlum sese induit in nubem, ac solem condere incipit alta caligine, undaq; ducto cœli colore horrida late dehiscit, confestim incolumi adhuc spe, deos orant, ut se patriæ restituant, uariaque pro reditu uota concipiunt. ut uero effractis armamentis antennæ collabuntur, excussoq; clauo, & auulsis gubernaculis, nauigium uento ac turbini obsecundat; iam desperata salute, si id forte in Ionio accidat, Græcus id queritur, id deflet, quòd patriæ amplexu, quam haud procul aspiciat, in ipso penè deorum penatium conspectu prohibeatur; & quanquàm putat deos omnes esse auersos, nihilo secius tamen eos precatur, ut, quam patriam uiuo sibi tam alieno tempore denegent, in ea mortuum quiescere patiantur: illud singularis beneficii loco habiturus, si naufragum saltem cadauer, optata patriæ littora possit attingere. rursus Phœnix aut Hispanus id tantum deplorat, quòd tam procul

ſua regione intereat, miſerrimum ac duriſſi-
mum arbitrans, quòd ne fumum quidem pa-
triæ terræ, ante quàm moreretur, uidere potue
rit: tum inſigne aliquod promontorium ſæpe
commemorat, quod ſibi aliàs in patriam re-
deunti, primum apparere conſueuiſſet, Carme
lum, aut Tenebrium. denique omnibus fre-
quens in ore eſt, patriæ nomen, donec præclu-
ſis mari faucibus, in æternum ſilentium tace-
re cogantur. miles item, ſi in acie ſtetit, ubi
primis ordinibus loco ſummotis, cædes inci-
pit eſſe magis quàm pugna, non id queritur,
quòd tot tantiſq; uulneribus acceptis occum
bat, ſed agri uaſtitatem, urbis oppugnationem
extremaque omnia animo uerſans, patriæ
uicem dolet. ſin eſt præſidio relictus, quoties
murum aſcendit, non id agit ut ſe patriæ pro-
pugnacula protegant, uerum ut ipſe potius
patriæ propugnaculum eſſe uideatur. quum
autem munitiones tormentis concuſſæ, ac
prope ſolo æquatæ, hoſtilibus copiis, iam-
iam impetum facturis, apertum iter oſten-
dunt; ea una eſt eius querimonia, quòd ſi-
bi non prius obire licuerit, quàm patriæ
ruinam direptionemque ſpectaret. Enim-
uero unuſquiſque beatiſſimum eſſe exiſti-

mat eodem in loco sui laboris summam possе deponere, ubi primum cœperit fatigari, ut uitæ finis, initiumque, sic uelut peracto orbe iungantur. propterea innumeras propemodum nationes, pestilenta aut periculosa ad habitandum loca, ut semel ibi natæ sunt, nunquàm amplius deserunt. sunt quædã urbes in Græcia tam molesto sole, tam intolerabili æstu, propter radiorum inflexionem de proximis montibus, &, quoniam ad mare positæ sunt, meridiemque spectant, austro tam noxio, ut fere quotannis eo morbo corripiantur, qui uno contactu inficit multos. inde tamẽ nemo decidet: nemo, quum peregre profectus est, eò non properat. tantus est patriæ amor, ut, quod ubique perniciosissimum esse dicatur, ii domi suæ parum exitiale fieri posse confidant, Est in Hispania Tarraconẽsi, castellum quoddam agri Pintiani, lacunæ adiunctum eius naturæ, ut, quamuis per hyemem ob niues & pluuias aquæ plena sit, atque exundet, æstate tamen, maiori sui parte siccetur, tum propter soli ariditatem, tum quoniam inde magna uis iumentorum quotidie potat. id autem uaporis cænum illud exhalat, ut omnia circum ad mille passuum & amplius teterrimo odore

compleantur. negant tamen incolæ in ea re quicquàm eſſe moleſtiæ. quumq́; omnes, qui illac iter faciant, ſubito capitis dolore tenten tur, ac diutius tantam aeris grauitatem ferre non poſſint; rident ipſi, & ſecum tacite glo riantur, quòd eius patriæ ſint, quæ ab aliis ne queat coli; neque animaduertunt ibi nullum aut rariſſimum quenque ſeneſcere, ac ſe, quo ties ab arationibus aut paſcuis, domum reuer tuntur, tot luteas ſtatuas pro coniuge liberiſ que reperire. uiri enim illi, propter opus, & ſolem, non ſunt adeo mala corporis habitu dine: mulieres uero, quæ domi inſident, ſic pallent, ſic neſcio qua uelut tabe conſum muntur, ut cadauera potius quàm corpora eſſe uideantur. nec mirum. nanque ſolemus ea optima pulcherrimaque iudicare, quibus toto corde afficimur, ut, quia in iis ullum eſ ſe uitium minime ſuſpicemur, etiam, quæ maxime inſunt, nequaquam uidere poſſimus. Verum dixerit aliquis, ea, quæ morbo quo piam laborant, ſecundum aliquam tepeſta tem mitius afflictantur. quid autem illa, ubi nullum ſine periculo ſpiritum ducere liceat? in Germania trans ſyluam Hercyniam oppidũ eſt, cuniculis actis ad educendas natiui ſalis gle

bas, maxima ex parte suffossum. in eo, funes quidam crassiores, publica pecunia fiunt, quibus lignea illa fundamenta religentur inter se. omnes enim transalpinæ nationes, ob syluarum frequentiam, ligneas extruunt domos, oblitas quidem calce, fideliaque dealbatas, ita ut facile parietis speciem simulent. fit igitur eo connexu, ut ultimis duntaxat partibus, interiori excauati montis crepidine subleuatis, & quæ media sunt quoque consistant, perinde ac si contignatio quædam esset, cuius non nisi extrema columnis aut parietibus fulcirentur. eat aliquis nostrum eò, somnumque si possit capiat, dum meminerit unius tantum funis imbecillitate, siue quòd humore putruerit, siue quòd bestiolæ cuiuspiam sit dente corrosus, siue etiam quòd nodum habeat male complicatum, breui momento uniuersam illam uiciniam in tam profundam uoraginem posse collabi. tantum autem abest, ut homines ii quicquàm tale uereantur, ut putent se nusquam tutius aut commodius posse consistere: quoniam sicut patriam præ cæteris rebus omnibus amant, ita etiam pro certo habent, fieri nullo modo posse, ut un-

quàm ab ea tam impio ſcelere prodantur. in ſula quædam poſita eſt ad ſeptemtriones, quã ſi quis ab alto conſpiciat, protinus ſe craterem aliquem magnum intueri arbitretur. aggeribus enim undique cingitur. area uero, quæ media eſt, quotidie bis altitudine uiginti pedum, ubi minus offuſi maris ſuperficie uidetur inferior. quandoquidem humor ille, qui terras omnes circundat, ut in mediterraneis etiam fieri uidemus, ſex horis fluit, ac totidem refluit, ſed tanto uehementius, quantum magnitudine cæteris præſtat. nam quum effunditur, terramqué petit, ceu torrens aliquis preceps è prominentibus ſaxis mirum edit fragorem, pariq; uelocitate ſeſe recipit in altitudinem ſuam. quo fit, ut uel minima eius aquæ mutatio, quadruplo maior exiſtat, quàm quæ maxima è noſtris eſſe conſueuit. eo in loco tam formidabili, ciuitas eſt admodum frequens. ædificia quoque multa, tum publice, tum priuatim ampliter facta, ciues illos ſatis gnauos, atque induſtrios eſſe teſtantur: qui, ut leuiter dicam, certe perridiculi ſint, quòd, potius quàm aliquid tutius capeſſere, tam acriter pugnare uelint cum ip-

ſo oceano, dum ille, ut libere uagetur, quemadmodum olim ſolitus erat, in obie-ctas moles impetum faciat, ipſi uero condu-plicatis munimentis, ne id fiat, ſumma ope nitantur, niſi pro patria, quam rerum cariſ-ſimam cenſeant, proq; natali ſolo, cui ſe om nia debere exiſtiment, tantum laboris inſu-mere, ac ſimul ad duriſſima quæque parati eſ ſe uideantur. equidem hac in parte complu res alios connumerarem, eos preſertim Rhe-ni acolas, qui caſas penſiles habitant, hoc eſt ramos firmiſſimæ cuiuſque arboris ad me-dium cedunt, atque inter eos truncos habi-tacula quædam componunt, ut eo pacto ſeſe ab eluuie tutentur, (nam circa oſtia ſunt) quotieſque flumen ripis egreditur, in ſicco re ſiſtant: niſi cognoſcerem omnes homines na-tura ita eſſe animatos, ut nihil ſibi felicius ſuc-cedere poſſe arbitrentur, quàm ſi per totum uitæ ſpacium amœniſſimo, iucundiſſimoque patriæ conſpectu fruantur; ac neminem un-quàm fuiſſe, cui non ſua ſibi patria ualde placuerit. quin, non homines modo, uerum & cætera quoq; animalia patriæ ſuauitate dele ctantur, ac eius deſiderium ægre admodum fe-rũt. equos uidemus nobiles illos Numidas at-

que Hispanos, quum in Italiam deportantur, multũ de pristino uigore amittere, multum de ea uenustate, qua, dum essent in patria omniũ oculos in se conuertere uidebantur, remittere, subitariisq; aliquot morbis tentari, ac demum citius multo senescere. idem & aliis euenit. uidi ego in Hispania elephantum, quòd iam tenui ualitudine uti cœpisset, quotidie lacrimantem, ac suum illud cœlum resupinato capite querentem non sine gemitu atque suspiriis. plantæ etiam si in alienam regionem traducuntur, plærunque sterilescunt, sæpius tamen intereunt, ueniunt autem omnes felicissime, si, ubi semel depactæ sunt, diu consistant. neque enim de seminario sine ingenti discrimine trasferuntur, si, qua parte prius aquilonem aut eurum spectarint, eadem postea fauonium uel austrum excipiant. quamobrem patres, si nihil cuiquam est carius patria sua, & ego uestra pietate sum patriæ restitutus, certe necesse est uobis immortales gratias habeam, agamq; non semel aut iterum, sed quoties id ferat occasio. etenim sub id tempus, quo sententiis ferè omnibus tam grauiter tamquè honestè de mea dignitate statuistis Epidaurii legati, quæ opulentissima ciuitas est tota

Dalmatia, iam obſignatis tabulis me, quanto maxime poterant, perque leges ſuas licere uidebatur, ſtipendio auctorarant: id ipſum & alii quoque nominis italici maiori pecunia ſe facturos pollicebantur. unde facile uſu uenire potuiſſet, ut, quoniam ætas, mores, & hæc ipſa ſtudia efficiunt hominem ſegnem, de Veneto Epidaurius, aut quiuis alius, fierē. quod ego iam multo antea ueritus, mecum ferè ſemper triſtis mœſtuſque reputabam. At quæſo cuinā patriæ ſum reſtitutus? Ithacæ ne alicui, an Sardiniæ? quarum alteram ſoli ſterilitas, alteram uero cœli intemperies fecit inſignem? immo uero, ipſi Venetiæ, ſaluberrimæ, feraciſſimæq; regioni: quam ſiquis non iniquus rerum æſtimator uelit inſpicere, nihil ſe toto orbe terrarum nec uidiſſe, nec ab aliis accepiſſe fatebitur, quod cum ea poſſit comparare. nam, ut inde incipiam, tanta benignitate cœlum ſortita eſt, ut non plures pueros alere ſoleat, quàm ſenes: incolas autem habeat ſtatura mediocri, facie liberali, frugi homines, & maxime temperantes. ipſæ enim horæ in ea quaſi communi conſenſu annum ex æquo inter ſe partiuntur. nanque trium menſium ſpatio, uer flores eo ordine procreat, ut alius alium ſubſequatur.

æstas item, fruges omne genus suis solibus excoquit. autumnus uarios fructus ad maturitatem perducit. hyems tellurem penè exhaustam larga humoris copia recreat. unde id accidit, ut cuncta incredibili temperie producantur, uel ex ea harmonia lucis & umbræ, quam bruma solstitiumque constituunt. superant enim se inuicem duplo. quæ res, quantum momenti afferat ad omnem salubritatem, rerumque præstantiam, ex iis locis colligi potest, quæ manifesto ab hac proportione discedunt, quatenus partim perpetuo gelu premuntur, partim continuo feruore laxantur; ita ut nihil nisi imperfectum habeant atque immodicum, præter uenena, & feras, ac insignes illas ægrotationes, quibus æternam ignominiam consequantur. Præterea eo loci posita est hæc felicissima regio, ut totius Europæ umbilicus esse uideatur. quo fit, ut trãsmarina omnia tam ab ortu solis quàm ab occasu, facile importentur: quod autem ad mediterranea pertinet, Gallia paucis diebus adeatur, paucioribus uero Germania. insula quidẽ non est; ne iis, quæ incontinenti sunt, carere cogatur; neque à mari longe recedit, ne usum eius ignoret: sed in intimo adriæ sinu collocata eum

umbilicus e[illegible]

obtinet ſitum , ut iis omnibus, quæ terra ma-
riq; ſunt aut uitæ neceſſaria , aut uoluptati ac-
commodata , potiatur . montibus a ſeptem-
trione munitur prætaltis illis , qui Noricos a no
bis auertunt . ii , qua parte incipiunt ſentire me
ridiem , tantam materiæ uim agunt , tot altiſſi-
mas pinus, tot craſſiſſimas abietes, tot quercus,
tot phagos , ut nuſquàm uidere ſit nec domos
cultiores, nec pulchriora nauigia . neque uero
domeſticam tantum opulentiam ea arborum
copia ſumminiſtrat , uerum etiam in Picenis ,
& Appulis, ac reliqua ora Italiæ magna æſtima
tione diſtrahitur . Iidem quoque ferrum exhi-
bent ſingulare, cum ad temperaturam & arma,
tum ad omnes alios uſus . quod quanti facien-
dum ſit , ii iudicent , qui nihil ſine eo in fabri-
cis ullis fieri poſſe cognouerint . poſtremo ni-
hil montanum reperitur , quod ibi eximium
non ſit atque copioſum . nam quis Eryman-
thus ferat apros maiores ? quæ Ida plures aut
ceruos aut capreas alat ? equidem non eo infi-
cias , uenationes multis in locis magnum uſum
magnamque uoluptatem afferre : ueruntamen
eas omnes nihil ad hanc eſſe contendo ; quip-
pe quæ nullis principibus reſeruata ſed etiam
infimo cuique expoſita , quotidie tamẽ eadem

ſit ,

ſit, aut maior euadat. Vbi uero iuga illa paulatim alpeſtri habitu immutato exeunt in colles, tam uario, tam multiplici, tam excellēti genere uitium undique teguntur, ut dubium ſit, utrum in Campania an in Venetia, Bacchus delicias ſuas collocarit. nam, quod Falernum Patauino, quod Setinum aut Calenum, Vicetino anteponas? certe, non pauca ſunt ueteribus decantata; quæ ſi hoc ſæculo cum noſtris alias ignobilibus conferantur, protinus omnem opinionem amittant. Quid autem ea planities, quæ ad mare uſque pertingit? quæ in ea meſſes, quæ fœniſecia? nempe, ſi triticum ſeras, cum Aegypto, Bœotia, Siciliaque contendit. ſi hordeum, Africæ, Hiſpaniæque non cedit. ſi legumen, aut alia frumenta, Syriam & Theſſaliam uincere uidetur. At, dii boni, quæ flumina, quàm ubique alueo ſuo contenta, quàm magnis lintribus peruia, quàm frequentibus uillis adumbrata; qui fontes, quæ ſtagna, quæ ſuper iis nemora, quot ſemper aucupiis apta, quæ paſcua, quæ prata; quàm irrigua omnia, quamquè egregiis pecoribus referta. Mitto, equos illos lupatos. mitto, nobile illud genus mularum. mitto, etiam Venetos equiſones, quos olim reges certatim

ad equilia sua magna mercede accerssebant. sunt enim hæc uetustate deleta. loquor de iis, quæ hodie uigent. Atque, ut alia seponam, quis unquàm sub sole maiorem, habilioremquè uidit boum corporaturam? habet quidem & Britannia suos boues, magnitudine insigni. habet & Bæthica. sed ii minime ad excellentiam istam accedunt: quando natura quum uestros formaret, quid tandem in eo animantum genere posset, uoluit experiri. Iam uero in ultimo littore ipsæ alibi steriles harenæ sic uirent, sic floribus pinguntur, sic uariis stirpibus ornantur, sic hortensibus omnibus abundant, ut, quicquid ab herba, frutice, arbore, hoc quidem cœlo, expeti possit, ibi amœnissimum suauissimumque reperiatur. mihi sanè, quum ea olera, uel media hyeme tam læta conspicio, in mentem uenire solet Alcinoi, Adonidis, Hesperidumquè ipsarum. denique ueterem historiam mecum recensens, quamlibet antiquam hortorum nobilitatem cum hoc diuino potiusquàm humano opere confero. naturam enim puto incredibili cura, id ornamenti uelut in primo beatissimæ huius regionis limine posuisse, ut, quicunque applicuissent eò, inuitarentur ad inte-

riora ſpectanda, atque hoc pacto ipſa, quæ uobis ſpecioſiſſima dediſſet, etiam exteris nationibus oſtentaret. Hæc igitur, & longe plura ſunt, patres, terræ Venetiæ commoda, quibus, me patria olim, quum nihil adhuc planè cognoſcerem, quum nullius officii capax eſſem, donauit. uos autem, eadem ipſa non inſcio, non ignaro, ſed conſcio, & experto reddiſtis, atque ita reddiſtis, ut, quæ ſatis per ſe iucunda fuiſſent, iucundiſſima ueſtro beneficio fierent. mirum enim eſt, quantum gratiæ iis accedere ſoleat, quæ uel minimum deſiderata recuperantur. Terreſtribus marina ſuccedunt. de quibus, illud dicere auſim, nullas aquas à parente ſua Meoti ad Herculis fretum & Gades uſque poſtremas, nec inſulam cingere, nec ullum quauis forma littus alluere, quæ Venetis præferri poſſint, ſiue utilitatem quis ſpectet, ſiue etiam uoluptatem. quod quidem facile ipſimet ſibi perſuadebunt, qui naturam earum diligenter conſiderarint. nanque ex ea altitudine, in qua naues ad anchoram ſtare non poſſunt, ſenſim coniiciunt ſe ſe in uada, non acutis cautibus aſpera, non cæcis uoraginibus dubia, ſed molli ſabulo quaſi ſubſtrata: in quo tantumnon ſicco, tanta

Marina.

omnis generis concarum uis ineſt, ut de eo terræ mariſq; confinio, magnum argumentum ubertatis utriuſque capiatur. deinde certis in locis per anguſtiſſimas fauces in mediterraneam partem impetu facto longe lateque ampliſſimi lacus ſpecie uagantur. quod mihi prorſus omnem rationem excedere uideretur, niſi admirabili naturæ conſilio factum eſſe cenſerem. etenim, quam ob rem tanta moderatione ſe gerant, ut potius per neſcio quas anguſtias ultro citroq; commeare patiantur, quàm uelint diſiecto illo tenui aggere leuium harenarum liberum ſibi atque apertum iter efficere? profecto ea eſt cauſa, ut ſingulare quoddam aduerſus tempeſtates piſcibus ſuis præſidium, externis uero perfugium relinquatur: quandoquidem, non tantum è proximis Liburniæ ſcopulis, uerum etiam ab ipſa longe oppoſita Cyrene, atque ex ultimo illo receſſu, in quo Philenis fratribus aræ poſitæ ſunt, magnæ piſcium turmæ in hanc partem uentis et fluctibus aguntur, nec uſquàm prius conſiſtere poſſunt, quàm in hanc uelut arcem munitiſſimam ſeſe receperint. hinc, illa fori piſcarii quotidiana frequentia. quippe quum cæteræ nationes, ubi paululum mare inhorruit, piſcibus abſtinere

cogantur, non nisi eo tranquillo aliæ alios capiant: uobis & plani, & longi, & lubrici, & squamosi; & qui crustra teguntur, & qui testa, nullo non die presto esse consueuerunt. Venio nunc, ad urbem, his mediis aquis fundatam. quæ, si nihil aliud, certe quòd ea magnitudine portum habet, ut non millæ Græcorum naues, quibus olim præfuit Agamemnon, aut classem regum Hieronis, & Philadelphi, sed quicquid hodie nauigiorum ubique gentium est, capere queat, præteriri à me sine certa laude non potest. ueruntamen, quis de hac urbe pro dignitate ipsius se uerba facere posse confidat? quum iam eò usque nobilitatis peruenerit, ut cum ea, nulla etiam ex antiquissimis illis comparanda esse uideatur. non equidem iccirco ipse pauca quædam commemorare decreui, quoniam putem fieri posse, ut quicquàm mea oratione illustretur, aut quoniam id opere prætium fore existimem, ut de me uos uestra discatis, sed ea duntaxat de causa, ut significem clam me non esse, quàm præclara sint ista beneficia, quibus me pietas uestra cumulauit. Bellum ueteri prouerbio dicitur omnium pater, neque immerito. nam

ut ex otio, ac diuturna quiete, negligentius om-
nia geruntur: ita in eo, propter crebras agita-
tiones hominum ingenia excitantur, multaq;
ex uſu uitæ inueniunt, multa inuentis adiiciũt,
quæ aliàs nũquàm excogitare potuiſſent. quod
certe niſi ita fieri ſoleret, hac pulcherrima, urbe
atque hoc ipſo non unius Venetiæ, ſed totius
Italiæ ac uniuerſi orbis terrarum ornamẽto ca-
reremus. etenim quo tẽpore Gotthi Galliam,
Vandali Hiſpaniam & Africam, Hunni Ma-
cedoniam Achaiamquè uaſtabant, omnes au-
tem Italiam, alii poſt alios populabantur, Vene
tiæ proceres, qui tunc Altinum incolebãt am-
pliſſimam urbem, in hanc tutiſſimam regio-
nis ſuæ partem oculos coniecere: & quoniam
Attila Hunnorum rex, Aetii fortiſſimi impera-
toris uirtute, prœlio uictus, deinde obſeſſus ea
deſperatione ut de conſciſcenda ſibi morte co-
gitaret, mox autem liberatus malo hoſtis conſi
lio in tantum odium nominis Italici uenerat,
ut nihil animo capere poſſet, nihil audire uel-
let, niſi quod ad Italiæ ruinam tendere uidere-
tur; ac proinde coactis maioribus copiis, hanc
regionem, quæ prima occurriſſet, primam cœ-
piſſet euertere, in his tribus aut quattuor bre-

uibus insulis, ad retinenda quãdoq; humani generis ornamenta, naturæ cõsilio relictis urbem fundarunt aquis undiq; munitam, quas nullus hostis ad hanc usq; diem impunè tentauit. quicunque enim ea temeritate fuit, ut hos etiã naturæ limites sibi transcendendos putaret, pœnas statim naufragio luit. huc igitur non è sordida plebe colonia deducta est, sed qui tota Venetia nobilissimi ditissimiq; essent, conuenere. neq; enim obscuris natalibus homines tyrãnidem ullam fugissent, quippe, qui nec recuperandæ libertatis, nec regni affectandi suspicione laborarẽt. pauperes uero, de re domestica potius augenda, quàm de noua urbe condenda solliciti esse uoluissent. hinc nata respublica, cœperuntq; cõmuni consensu omnia fieri, ut ab iis, qui se pares & genere & opibus esse arbitrarẽtur. eam ob causam nulla unquàm in hac ciuitate facta seditio: nulla tribunitia potestas legibus obstitit: nulla præpotens factio publica iura inuasit: semperq; ad summos honores non nisi optimo cuique aditus patuit, dum omnes indigenas se esse existimãt, qui ceu Athenienses alteri, è pluribus oppidis in unam urbem migrarint, atq; ita cæteris rebus æqua-

les sola uirtute contendunt. inest nimirum urbibus ipsis, quemadmodum & hominibus, nescio quid proprium, ita ut originem suam mentiri non possint. Roma enim asylum & conditoris sui manus fraterna cæde pollutas semper funestis armis ciuiliq; discordia retulit. Carthago solum, quo stetit, emptum dolo malo, ac punica fraude comparatum, fallendi studio testata est, summaq; perfidia. Venetiæ autem nullo non tempore coluerunt fidem, iustitiam, pietatem, reliquasq; uirtutes, utpote quæ non è colluuie sceleratissimorum hominum conflatæ, sed è probatissima lectissimaq; nobilitate constitutæ bonis artibus & initia & incrementa ceperunt. Omittamus quæso inpræsentia urbis situm, & quæ in ea pretiosissima operosissimaque spectantur: quandoquidem nulla ex parte admirationi esse non possit. Prætereamus etiam tot opulentissima oppida, tam breui spatio distincta; quorum in medio ipsa uelut regina consistit; non hæc inquam maritima suburbana, delicias Nereidum atque Neptuni, sed quæ in continenti sunt artis & naturæ miracula. consideremus autem parumper id unum: ciuitatem hãc

mille amplius annos incolumi libertate du-
rasse, nullumq; hostem, nisi captiuum intra sua
munimẽta uidisse. proh dii immortales, tantũ
ne in uirtute ciuium, publicaq; concordia posi-
tum est, ut, quum à primordio rerum huma-
narum, ad hanc usque ætatem cuncta imperia
ferè intra septingentos annos labefactata sint,
tandemque conciderint, nihilo secius tamen
huius imperii maiestas, quum senectutem a-
liorum, longo iam interuallo superarit, tunc
maxime uigeat, tantumq; in posterum de uiri-
bus suis promittere uideatur, quantum iuue-
nis, corpore optime compacto, de suo sibi ro-
bore spondeat? & quisquàm dubitabit hanc
urbem cæteris omnibus anteferre? quid? mi-
rabimur ne amplius Athenas toties debella-
tas, atque à fundamentis euersas? an Myce-
nas, quibus inter tot tragicas cædes ne unus
quidem dies libertatis affulsit? an etiam Spar-
tam, quæ toties mutato imperio, & nomẽ quo-
que diu seruare non potuit? an potius Cartha-
ginem, atque Numantiam, & alias item id ge-
nus, quæ nihil unquàm memoratu dignum
gessere, nisi sub ipsum excidium? an denique
urbem Romam turpiter adeo captam atque

incenſam, & modo regibus, modo conſulibus, modo tribunis, modo etiã dictatoribus ſubditam luculentiſſimis tyrãnis? multum uidelicet in his rebus fortuna poteſt. per magnum tamen eſt illud, magnumq; momentum habet in conſeruãdis imperiis, quòd in frugalitate, parſimonia, fide, iuſtitia, ac ipſa animi moderatione cõſiſtit. quæ ſimul omnia ſi in aliis ciuitatibus uel mediocria fuiſſent, quemadmodum in hac ſemper extitere quàm maxima, diutius fortaſſe dignitaté ſuam retinere potuiſſent. Age uero, quoniam libenter facio, ut cõmemorem quæ ueſtræ laudis ſunt, ueſtræq; gloriæ, quæ unquàm ciuitas præter hanc, perpetuum aliquem tenoré in adminiſtranda repub. ſeruauit? quæ poſtquàm ſemel uti legibus cœpit, ſemper eandem auctoritatem ſenatus, eũdem populi aſſenſſum in agendis rebus inuenit, iiſdemq; ſemper moderatiſſimis magiſtratibus paruit, nihilq; addidit, aut mutauit, niſi quod ratio temporum, aut rerũ uiciſſitudo, poſtulare uidebatur. qui enim aliter fieri poſſet in tam optime cõſtituta republica? ubi non ad inconditæ multitudinis uoluntaté, aut ad paucorum libidiné, qui uel opibus uel gratia polleant, cuncta referantur, ſed

optimus quisque, leges & iura defendat. quæ tametsi parum admodum necessariæ sunt, ob singularem ciuiũ indolem, nusquam tamen acrius seueriusque seruantur. Iam illa nobilitatis ornamenta, litteræ, doctrinæ, sapientiæ studia, & mille artis musicæ species, ita in hac ciuitate floruerunt, atque in id culmen euecta sunt, ut cum omni antiquitate contendant. uix enim unquam ipsa Alexandria, tot mathematicos aut physicos uidit, quot hæc ciuitas uno sæculo habuit. utq; olim Thebani tibicines, Mytilenæi cytharœdos, ad sacra certamina mittebant, ita hæc ciuitas non in uno aut altero tantum instrumento, uerum in omni exercitatione musica semper excelluit. nempe si eos Venetos ciues, qui in aliquo liberalium artium genere, magnum sibi nomen adepti sunt, connumerare incipiam, non qui præteritis temporibus claruere, sed qui hodie uiuunt, totus hic dies ad dicendum breuis esse uideatur. ac ut etiam de iis artibus loquar, quæ licet ab honestis hominibus tractari non soleant, propterea quod manus requirant, & citra corporis fatigationem esse non possint, tamen ut uitæ necessariæ magnam utilitatem urbibus afferunt,

Studia

Artes liber[illegible]

non pingendi, ſcalpendi ue, aut medẽdi ſolum ars in hac ciuitate laudatur, quem admodum Crotoniatæ medicis, Athenienſes pictoribus abundarunt, ſed omnes ſimul ea copia, eaque diligentia fiunt, ut nulla ſit tam lõginqua tamque recondita natio, quæ multa Venetiis egregie facta non habeat. omnes certe, qui paulo elegantiores uideri uolunt tota Italia, ſemper opus aliquod mollius Venetiis faciendum locare conſueuerunt. In primis autem, ut in ipſo orbis terrarum emporio, mercaturæ ſtudia uigent: qua quidem non priuatæ modo pecuniæ augentur, uerum etiam publica uectigalia locupletantur, &, quod utilius eſt, uniuerſa tandem ciuitas fortiſſimis ac ſapientiſſimis uiris oppletur. nam, qui mercimonii cauſa, regiones, ut fieri ſolet, uarias adeunt, partim ad omnes caſus tot undique periculis terræ mariſq; durantur, partim uidendis moribus hominum multorum, & urbibus, magnam ſubinde rerum experientiam conſequuntur. quo, inter cætera factum eſt, ut, quum hæc ciuitas plura bella non niſi iuſta de cauſa ſuſcepta, cum atrociſſimis atque immaniſſimis hoſtibus geſſerit, quã omnes aliæ ſimul pluresq; uic-

torias reportarit, quàm quot unquàm trophæa erecta sunt, toto orbe terrarum; nihil tamen, neque in aduersa fortuna timide aut demisse, neque in prospera, superbe aut impotenter egisse uideatur. Quare, hoc maior est uestri beneficii gratia, quo nobiliori me patriæ restitutum esse uoluistis. per uos enim patres, in hac luce hominum uiuo. per uos, hac libertate fruor, qua nihil potest esse iucundius. per uos etiã, his commodis utor, quibus, plura aut maiora ne impudentissimi quidem mortalium, à diis petere auderent. Verum enim quanta gratiæ accessio facta est, quòd me tantæ amœnitati reddidistis non priuatum, sed summo in honore constitutum? summo inquam medius fidius, atque omnium maximo, quos aut mea industria aut quacunque alia ratione consequi possem. etenim, quum res humanæ bifariam diuidi soleant, ut quædam corporis, quædam uero animi propriæ iudicentur; dico, quæ animi sint, esse potiores; idemq; contendo, unum ex iis, quæ in nobis sunt animi bona, multo præstantius duci oportere, quàm uniuersa illa corporis ornamenta, quæ ullo pacto nostri arbitrii esse non possunt. at, studia litterarum, & hæc ipsa professio animum, si rudem offendunt, ex

Moderati

Res humanæ

colunt, atque ad ubertatem perducunt: ſin etiam natura politum inueniunt, ſic ornant, ut nihil amplius humanum retinere, ſed potius in quandam uelut diuinam mentem mutatus eſſe uideatur. hinc, tot uiri illuſtres, patriæ ſuæ magno uſui, magnoque ornamento fuere. neque enim, ad Salamina Themiſtocles tantum audere potuiſſet, neque Horatius pro põte ſtare, aut Scæuola manum igni admouere uoluiſſet, niſi antiquorum doctrinis perſuaſi, nihil magis hominem decere putauiſſent, quàm ſequi uirtutem: & ea, ſibi iter ad gloriam, atque immortalitatem parare: proindeq; ſperaſſent, famam rerum ſuarum, ſi litteris celebraretur, in omne æuum eſſe uicturam. tanta ſanè litterarum uis eſt, ut, quos olim nec priſtinæ uirtutis memoria, nec patriæ pudor amplius moueret, Tyrtæi uerſibus auditis iterum cœperint de laude cogitare, tamq; alacriter pugnarint, ut dignam ſe, dignamque lacedæmone uictoriam reportarint. quòd ſi apud agreſtes illos homines, litteræ tantum ualuerunt, quantum obſecro arbitramini ad ſingularem iſtam educationem, quæ ueſtra eſt, locum hunc addere ſolere? ubi, tot ueterum imagines quotidie ſpectantur litteris expreſſæ, non qua ſpecie

corporis fuere, ſed quibus animi lineamentis, ut ita dicam, uirtutem præ ſe tulerunt. quapropter hoc publice docendi munus, tantum cæteris honoribus præſtat, quanto animus corpore nobilior eſſe cenſetur. quæret aliquis fortaſſe, poteſt ne uocari ſummus honor, qui ſecum afferat ſummos labores? immo, id omnibus accidit, ut, quanto maiores ſint, tanto maioribus curis impliciti, maioribusque negotiis inuoluti eſſe uideantur. quis neget in naui præſtare, magiſtrum, eſſe quam remigem? ſed ille breui temporis ſpatio remum trahit, deinde dormit ocioſus, atque ſecurus. hic uero interdiu è ſumma puppi ad proram uſque diſcurrit, & nautas modo hortatur, modo caſtigat, tanta contentione, ut latera quandoque deficiant. noctu cœlum contemplatur, uentos ac tempeſtates obſeruat. natura enim comparatum eſt, ut omnia contrariis æque penſentur. ſi igitur ſummus eſt honor, ſummos etiam labores afferat neceſſe eſt. nec tamen propterea quicquam de ueſtri beneficii ſumma detrahitur, quatenus mihi ætas eſt, ad ferendos labores idonea, ut uos prudentiſſime iudicaſtis; eſt animus, qui honeſtos labores inerti ocio præferat. Itaque magnum eſt, patriæ

docendi munus q[illegible]

restitui, sed longe maius, in ea honoribus perfrui. perpulchrumq; est, litteras publice docere; sed Venetiis, in tanta frequentia, tantaque nobilitate, pulcherrimum. ita enim utrunque alterum auget, ut incredibile sit, quantum mihi onus adiungat, quantunque gratiæ pariat, hæc beneficiorum sola coniunctio. Satis est factum officio, satis meæ gratitudini patres, quod attinet ad eam partem uestræ clementiæ, quæ cognita perspectaque est, ac publica testificatione uulgata. reliqua est ea gratia patres, quæ non iam omnibus nota, sed in anima sen suq; meo tantum insita est, atque affixa: in qua non uideo qui possint ea mihi uerba suppetere, ut nihil de tantæ rei pondere detraham. hactenus enim, dum cætera beneficia commemorarem, ubi rem aliquam nudam suo nomine appellassem, illico eius magnitudinem agnoscere potuistis. hæc uero, ut noua, & inexpectata, non sinet uos, orationem meam ulla animi celeritate præuertere. sed certum est tamen, quid faciam. rem ego breuiter exponam. uos, eam postea per otium pendidote. ut in rebus humanis fortuna uarie ludit, postridie quàm ex hoc loco, me tanta cum attentione audistis, quantam fortasse non iterum uidimus,

ita æger factus sum, ut inde nō amplius biduo ſpiritus omnis in me ſubita quadam labe facta corruiſſe uideretur. iam uenæ conciderant: iam uox interrupta defecerat: ſenſumq; illum tenuem, qui mihi ſupererat, amici tanta rei nouitate exanimati acerbiſſimis lamentationibus uulnerabant. iccirco ne tandem ab ultimis terris domum redire potuiſti, ut eam lacrimis luctuq; compleres? ut, qui deſiderium tui abſentis, ſola ſpe reditus mitigaſſent, eos præſenti funere iugulares? an ideo, aliquis tot ſimultates pro tua dignitate ſuſcepit, ut eſſent qui ſuo mœrore gauderent? O' diem illum funeſtum, qui te ſic patriæ reddidit, ut non gratulatione amicorum exceptus, ſed funebri pompa illatus eſſe uidearis. en tot labores: en litteræ, tot lucubratis noctibus acquiſitæ. quò promiſſa tua, quò ſpes noſtræ reciderunt? dum hæc audirem, nulla ui, nullo conatu animam retinere potuiſſem, quæ ad extrema uſque labra peruenerat, niſi eam in ſedem ſuam, ueſtræ benignitatis ac clementiæ ſpes, ueſtræque pietatis memoria reuocaſſet. ſenſi ego tunc patres, & in præſentia, ut aiunt, uiuus & uidens intelligo, quantum mihi præſidii in ueſtra bonitate poſitum eſſe uo

luistis. siquidem paulo post, uniuersa ferè suffragia declararunt, uobis, non uaria studia, non diuersa consilia, sed unum ac eundem fuisse in mea nõ laude solum sed etiam salute consensum: quorum sententiam, nõ homines modo, sed ipsi etiam dii, penes quos uitæ necisq; ius est, approbarunt. illud enim, illud temporis momẽtum, quo me tam magnifico senatusconsulto in omne tempus ornastis, & mihi me ipsum restituit, & meorũ lacrimas, luctumque compressit. Nunc uos ò dii immortales, qui hanc urbem, tam oportuno in loco fundatam, sub uestro numine posuistis, qui hanc ciuitatem tot opibus, tantoque uirtutis præsidio munitam, diuturna libertate firmastis, qui hãc rempublicam, domi forisquè tam ampliter auxistis, qui hoc imperium, tot annos integrum inuiolatumque seruastis, uos inquam, quibus me toties pro communi utilitate deuoui, uosq; etiam, dii penates, ac familiares mei, & uos qui huic loco præsides estis, imploro atque obtestor, ut, si clarissimis istis patriæ patribus, tantas referre gratias cupio, quantas adhuc gratissimus quisque aut egit aut habuit, quorum singulari beneficio factum est, ut pulcherrimam

nobilissimamq; adeo patriam, non priuatus, sed amplissimis honoribus auctus, recuperarim, ac etiam me ipsum è durissimo illo casu receperim, hoc si animo sum, uelitis eam charitatem, quam ipsi erga me habent, esse perpetuam, me autem, dignum laudibus eorum, tantaq; opinione faciatis. Dixi.

M D X I X.

Mense Aprili.

VICTORIS FAVSTI
ORATIO QVA MAIVS STIPENDIVM PETITVR.



ETSI ego is ſum patres ampliſſimi, qui multo plus uobis pro ueſtris immortalibus in me officiis debeam, quàm poſſim eſſe ſoluendo, tamẽ ea iampridem in me ueſtræ bonitatis opinio reſedit, ut non dubitem id a uobis etiam ſæpius petere, quod priuatim quidem ad me, publice uero longe magis ad ueſtram & tanti imperii exiſtimationẽ arbitror pertinere. nam ſi uos omnium maxime quot ſunt ubique mortales, reipublicæ tum ornandæ, tum agendæ ſtudioſos eſſe intelligo, atq; ſi ea ſemper fuit meæ fortunæ conditio, ut nihil unquam mihi uobiſcum agi potuerit, quod eſſet uel minimum à publica utilitate ſeiunctum, quid eſt, cur tametſi ueſtræ liberalitati adhuc ne mediocriter quidem ſatisfacere potui, & mihi met ipſe turpiter deſim, & ueſtræ, hoc eſt publicæ dignitati non conſulam? uos me, non certe hominem nouũ, utpote ſatis Maſerio Muſuroquè ceu maioribus nobilem, quatenus præceptores parentum

loco habentur hoc honore affeciſtis, ſed tamen eo ætatis, quo ante me,ab urbe condita nemi-nem. idque beneficium uſque adeo cumula-tum in me contuliſtis, ut mihi patriam,hoc eſt ſolum illud in quo primum uagire occepi, a-ras deorum penatium, oſſa parentum, ueteres neceſſitudines, & quicquid earum homini eſſe poteſt, unum ſenatus conſultum omnibus ferè ſuffragiis factum,reſtitueret; noméque meum in hac hominum luce clarum atque illuſtre per petuo collocaret. magna quidem hæc ſunt pa-tres,& quibus dari maiora non poſſint, uerum adhuc aliquid eſt, quod mearum fortunarum tenuitas in ueſtra liberalitate deſideret. quapro pter arripienda eſt uobis omnis benefaciẽdi oc caſio, quandoquidem ea non admodum fre-quens occurrit, & nemo unquam inuentus eſt, quem nimium multis benefeciſſe pœniteret. ueſtræ igitur hodie partes erunt, ut quo rerum uſu eſtis, quaque prudentia,non me, quis ſim, aut meum duntaxat commodum, ante oculos ueſtros dum pro me dico ponatis, ſed illud pri mum diligenter cõſideretis,an ſint honeſta quæ peto, deinde an uobis reiq; publicæ utilia pari-ter & decora eſſe uideantur. At uero, quoniam multos è uobis eſſe animaduerto, qui cõiectu-

ram secum taci ti faciant, uel ex hac biennium iam in hoc solio trita toga, quam neutra potuit neque hyemns, neq; æstas mutare, me hodie apud uos de stipendii paruitate, quam pati nõ possim, uerba esse facturum, aperte quidem, latineq;, summa tamen cum uerecundia, dicam patres, nisi loci huius auctoritati prospicitis, & mihi tantũdem redditis, quantum hactenus uestri litterarum professores non græcarum modo, sed etiam latinarum, non solum in summa pacis tranquillitate (quanta hæc diis auctoribus est) uerum etiam in quouis magno belli turbine habuerunt, me ob paupertatem, uel nõ ita diu uobiscum esse posse, uel (quod ne fiat Iupiter optime maxime) ad miserrimam senectutem esse uenturum: uos autem, præter ius fasq;, ac uestram consuetudinem, cum meam, tum etiam multo magis publicam dignitatem esse læsuros. pudet me certe, tot sapientissimos uiros quasi uideri uelle admonere: sed natura cõparatum est, ut cui bono res sit, is semper eam optime teneat. quo circa, nil mirum, si forsitan ego cuia res agitur, hac in parte plurimum uideam. illud quoq; non nihil me mouet, ne forte ab hoc tempore aliena hæc mea iudicetur oratio, quippe quũ uix biennio plus uobiscum

fuerim, nec quicquã in me aut in uestra fortuna felicitateq; nouum appareat, quod huic petitioni satis idoneam occasionem prebere posse uideatur, immo contra, certi homines malignitate ac inuidia ducti, multa apud uos de me falsò detulerint, & animos auresq; uestras compleuerint, me parum ex usu rei publicæ esse cœpisse: quæ sanè criminatio, uel iniqua, ut est, multum de uestro in me studio possit adimere: ueruntamen, ita in more positum est, uulgariq; consuetudine, ut quum necessitas cogit, uel de media nocte, quod instet, rationi ac pudori præuertendum putemus: quo facilius mihi ignoscatis: qui summis licet angustiis ac difficultatibus premerer, hoc tamen nõ egerim nisi certo die, atque eo die, quo uno duntaxat quotannis mihi ad hanc sacratissimam musarũ ædem, frequens iste senatus, dari consueuit: quem diem si forte prætereã, & de me ipse non loquar, haud sanè uideo qua ratione istuc melius sequenti anno facere possim, nisi forte, quoniam maior, quàm quæ hodie urgebit inopia: quod quidem apud uos sine ulla mea culpa fateri non piget: ni culpam putatis, quòd huius urbis pulchritudinem ac nitorem, uestrumque conspectum, multo maiori pecuniæ post-

ponendum esse non censui. neque uero expectetis quàm mox de mea egestate durum aliquid uobis sub oculos ponam. nihil de me dicam, nisi probauero prius, tanto maiorem amplitudini ac dignitati uestræ accessionem factum iri ex eo, quod peto, quanto maius in me commodum redundabit. ita enim uobiscum agere institui, ut uix quicquam, huic homini qualiscunq; sit, aut putetur, sed omnia publico splendori, lociq; huius grauitati danda esse contendam. Detis itaq; mihi oro atq; obsecro uos patres, paruam quandam bonæ de me opinionis usuram, donec paucas illas maledicorum calumnias diluam: quod profectò me comite ueritate pro uestra singulari prudẽtia facilè puto facturũ: & memineritis uos esse hodie ostensuros non quid de me, sed quid de literis, quid de bonarum artium studiis, quid de omni politioris uitæ ornamẽto, deque ipsa humanitate sentiatis. atque ut planius quid uobis statuendum sit cognoscere possitis, iam de officii huius dignitate dicere incipiam; ita tamẽ, ut quæ in eo magna atque ampla, rara, & difficilia maxime reponam, ea mihi sine ulla dissimulatione non arrogem. non enim quid à quoq; fiat, sed quid ab omnibus hoc loco fieri debeat per-

censebo . antiquis temporibus , quum græcum nomen litteris item , ut armis floreret, atq; quũ populus Romanus deposita rusticitate illa ueteri, aures subinde græcis artibus adhiberet, quãuis esset recte loquendi ratio , cum bene dicendi facultate coniuncta, diuersa tamen professione continebatur . alius enim ea tempestate is fuit , quem græcus grammaticum, latinus litteratum dixit , atq; ille quem uterq; sophistã aut rhetorem appellauit . nostra uero aut patrum memoria, postquam eædem illæ horridæ atq; immanes gẽtes, quæ olim bonarum litterarum & artium studia funditus euertere, paulatim excultæ sunt , ac proinde operam dederũt, ut latina pariter, & græca lingua ceu excisæ tot annos arbores iterum quasi fruticarentur , cum alibi, tum etiam in hac undiq; ornatissima ciuitate grammaticus idem esse cœpit atq; qui rhetor. factum est autem , ut quum uniuersa grãmatice in duas partes diuidatur, in eam, quam primi illi professores methodicen siue horisticen uocarunt , & in eam, quam exhegeticen siue historicen nuncuparunt, altera, quæ recte loquẽdi, recteq; scribendi rationem comprehendit , ac circa partes orationis , & eius uitia uirtutesq́; uersatur , se intra domesticos parietes contineret, aut in tri-

uiis tantum con ſiſteret, altera uero, quæ poetarum, & ſcriptorum interpretationem pollicetur, in publicum prodiret, atque in hunc locum dignaretur aſcendere, tantum ex arte rhetorica ſecum afferens, quantum ad notandum in aliena dictione artificium, quod ſanè non alius quàm peritus homo queat agnoſcere, atque ad tradenda illa peruagata iam bene dicendi præcepta ſufficeret, declamandi conſuetudine, atque omni diſcipulorum exercitatione uel in aliud tempus reſeruata, uel certe, quod flagitium eſt maximum, omnino neglecta: ut quæ rhetoris ſunt, peius multo exaruiſſe uideantur, quàm, ut poſſint iterum pullulare. quum igitur res ita ſe habeat, nihil mihi de rhetorica cenſeo eſſe dicẽdum, partim ne longum faciam, ſi quemadmodum par ſit, uirtutes eius ſingulas uelim attingere, partim ne loci huius amplitudinem atque auctoritatem ex ea laude, quæ iterum iam penè aliena facta eſt, uidear oſtentare: quum præſertim multo maiora ſuperſint, quæ ut loci huius propria poſſim oſtendere. & quoniam reſtat, ut de grammatici tantum officio dicam, miſſa etiam illa fient, quæ recte loquendi ratio poſtulat, quatenus dixi, longe infra loci huius dignitatem conſti-

tuta nondum publicæ professionis grauitatem attingunt. quattuor itaque sunt, quæ, ut Varro testatur, præstare debet publice docens grãmaticus, lectio, enarratio, emendatio, atque iudicium: quæ omnia, si uelimus diligenter considerare, nihil profectò reperiemus, quod sit absoluta illa, & undique perfecta grammatici professione præstantius. principio, lectionem non omnis hominis esse, nemo ignorat: siquidem magno naturæ beneficio indigere uidetur is, qui nõ modo non ulla littera peccet, sed etiam auditorem suaui quadam, & blanda litterarum, & uocum omnium prolatione delectet. adde, quòd huic maxime necessaria est actio, non oratoria solum illa, sed quædam etiã pene scenica, ut uarias loquentes personas, non modo in fabulis, uerum, & in alio quoque genere carminum suo quodam uocis tenore distinguat: unde etiam quæ legerit non narrari, sed agi quodammodo uideantur. quod nisi dii immortales tibi nascenti concesserint, aut sydera hæc, quæ cuncta moderantur, ut (ferunt) te ex utero matris egredientem, puro ac benigno lumine uiderint, frustra id ullis artibus quæras: atque ad eam in dicendo uenu-

ſtatem, quam gratiam uulgo appellant, nunquam aſpires. Iam enarratio, quæ artis eſt tota, nonne integrum illum ſcientiarum orbem, ac omnes alias diſciplinas, uelut officii ſui adminiſtras in hunc locum adducere conſueuit? nam, ſi poetæ ut rerum fictores, tam de humanis, quàm diuinis omnibus ſolent quæcunque uelint ad arbitrium ſuum dicenda reuocare, quis neget, debere poetarum interpretem iisdem de rebus multo etiam latius poſſe diſſerere? etenim illi, prout, & quantum uolunt de unaquaq; re canunt, neceſſe eſt autem qui eos enarret, eadem planius repetitis quandoque principiis, ut facilius intelligi poſſint, exponat. ut ſi de uergiliarum ortu, aut occaſu loquatur poeta, ſtatim cogatur interpres, non ſolum de matutinis, aut ueſpertinis ſtationibus dicere, ſed etiam quot modis, uel occidere, uel oriri dicantur ſydera, declarare: atque ſi Cæſarem inter erigonem, & ſcorpionis brachia collocet, aut alium alibi, ut nihil non audet poeta, quemadmodum, & Meſomedes Antinoum Hadriani, & Callimachus Berenices comam cœlo affixit, boni uideatur eſſe interpretis, & ſigniferi totius formã oſtẽdere, &

quo pacto ad eius habitum obliquamque ſpe-
ciem, quattuor anni horæ uarientur, docere: &
quum ſemel quot annis bruma ac ſolſticium
fiat, quare bis noctem dies adæquet, mathemati
ca ratione aperire; hoc eſt tum aſtrologica, tum
geometrica. hæ nanque doctrinæ ita inter ſe
coniunctæ ſunt, ut una alteri ſeruiat. præterea,
ſi de iis, quæ accidunt in ſublimi, ut de pluuiis,
niue, ac grandine, de fulgure, tonitru atque ful
minibus, aut de iis, quæ terra marique naturæ
miraculo fiunt, aut de uaria mentis noſtræ ac
etiam corporis affectione loquatur poeta, ſi-
quidem his de rebus non tantum alibi alius ce
cinit, ſed etiam integra ſunt à poetis ſcripta uo
lumina, laudabitur, credo interpres, qui ſingula
id genus certa quadam phyſicorum traditione
declarare, ac latius aperire non poſſit. mitto mo
rum ſcientiam, quæ publico iuuentutis mode
ratori, non ſolum debet eſſe notiſſima, uerum
etiam ſemper toto uitæ curriculo, quàm ſanctiſ
ſimè ſeruari. mitto muſicen, quæ ut poetæ pro
pria uel peculiaris eſſe debet eius interpreti, at-
que etiam arithmeticen, quæ perinde illi adiũ-
cta eſt, ut non facilè quiſquam muſicus ſine ex
acta numerorum cognitione dicatur. quæret
quiſpiam, num hæc omnia in uno poetarum

interprete uelut undique absoluta componis? certe, quanquam id affirmare non dubito, concedam tamen singula perfectius aliquanto in suis professoribus reperiri, dum illud contendam, multo maioris animi, ac felicioris ingenii esse, tantarum rerum scientiam, tam multiplici uarietate cócinnatá posse complecti, quam unú aliquid per omne uiuédi spacium uelle cognoscere. quid autem illa omnis generis auctorum infinita propemodum lectio? sine qua, quisquam excellenti quamuis ingenio præditus, nó magis hunc locum tenere, atque hanc dignitatem tueri possit, quàm optimus alioqui gladiator, oculis captus in harena consistere. quippe, duo potissimum, euoluenda tam ingenti tamque diuersa scriptorum caterua, ut maxime necessaria, comparantur: magna quædam uocabulorum ueluti sylua & historiarum plena cognitio. uocabulorú enim plæraq; unius cuiusque artis sunt propria. quoniam ut poetas atq; oratores omittam, qui & inter se, & ab aliis plurimum distant, aliter multo architecti loquuntur ac medici, item & cæteri quoq; sua quodam modo lingua utuntur, ut nunquam te satis græce aut aut latine doctum putes, nisi ad unum pene omnes euolueris. historiarum uero tantus

estnumerus, tantaque copia, ut etiam Didymus ille grámaticorum nobilissimus, quo nemo plura litteris tradidit, aliquid uisus sit quandoque nescire. tam autem necessaria est earum cognitio, nõ huic officio tantum, uerum & uniuersæ hominum uitæ, ut sine illa quantumuis annosus senex, quemadmodum Aristoteles ait, puer esse uideatur. at non solum multa legerit necesse est, qui tantam personam sustineat, sed etiam multa uiderit, atque in re præsenti cognouerit, bene magna terrarum orbis parte peragrata, ut non tantum exhedris aut ambulationibus commentans secum semper institerit, uerum etiam ad res gerendas domi forisque aliquando accesserit, atque in iis fuerit parumper, non sine laude uersatus. Dixerit aliquis fortasse, multi litterarũ professores, uel nostris temporibus extitere, qui magna opinione, magnaque apud suos dignatione agerent, quum tamen in eis, nihil præter litteras, neq; cultum neq; omnino ingenuum esse uideretur. primo, tu mihi eum humanitatis professorem idoneum probes, quando ita uocantur hæc studia, qui magnam eorum partem, quæ hominum sunt, & ab hominibus quotidie fiunt, nun-

quā attigerit? deinde tu sanæ mentis homini-
bus persuasum iri posse arbitreris eum, qui in
quotidiano sermone, uulgari inquam hoc at-
que italico, rudis ac penè stupidus reperitur,
græce aut latine quicquam, quod elegans sit
atque egregium, solere concipere? imperito-
rum & populi, mihi crede, sunt ista iudicia.
nam uulgus hominum, ferè in ea opinione uer
satur, ut eum, qui nihil unquam præter testudi
nem aut cancellos aliquos uiderit, quo in e-
ptior sit, eo magis eruditum existimet, quasi ue
ro ille ingenium in libris legendo uelut apis a-
culeum in morsu posuerit, totamque animi
uim perinde ut calceos deambulando studio-
rum assiduitate contriuerit. uerum sit ita ut ple
becula iudicat. poterit ne aliquis ut inde inci-
piā, Hesiodi aut Maronis georgica rectè intelli
gere, qui ruri non sit diu multumque uersatus?
poterit aliquis nauigatiōem, Vlyssis aut Aeneæ,
uel longos illos argonautarum errores animo
capere, qui non nisi subductas aut stātes in an-
choris naues & primos fluctus de littore sit con
spicatus? poterit ille, qui nunquam domo pe-
dem extulerit, quem semper galli cantus, nun-
quam buccina excitarit, qui ne suspicari qui-

dem

dem poteſt qualis ſit horribilis ille fremitus caſtrorum, & quanto animi motu fortiſſimum quemq; afficiat armati hoſtis conſpectus, ſingularem illam Achillis, aut aliorum Heroum uirtutem cogitatione metiri? poterit denique ille, decorum grauis præſertim alicuius perſonæ, quæ præcipua uirtus eſt poetarum, ullo pacto agnoſcere, qui nullum regem niſi pictum, nullam curiam, niſi uacuam uiderit? aut orbis ſitum, regionumq; naturam, quod profeſſionis huius fundamentum eſt maximum, certa ratione ac forma tenere, qui non multorum hominum urbes, atque etiam mores, tum internauigandum, tum in itinere faciundo perſpexerit? fit enim peregrinando, ut, quum multa uideris, quandoquidē nemo omnia poteſt, quæ ſuperſunt cuiuſmodi ſint, coniectura facile colligas. oportet igitur innumerabiles propemodum paginas uoluerit, & multorū pariter fontium aquas guſtarit, qui ad poetas rite enarrādos accedat. ſiquidem illi, nihil ferè aliud agere uidentur, quam, ut uarias hominum uitæ imagines, totamq; humanitatis effigiem, carminibus ſuis, uelut ingenti quodam ſpeculo reddant. atque, quum hæc quidem per ſe uideantur eſſe uel maxima, quædam tamen, iis multo

maiora in publico poetarum interprete deside-
rantur. primum, nego quenquam diuinum il-
lud nescio quid, quod poetarum est proprium,
posse cognoscere, qui nunquam phœbi, & mu
sarum spiritu afflatus, internisq; quibusdã men-
tis uiribus excitatus, politum aliquod carmen
ediderit. immo uero, cõtra potius ille derideat
ac prorsus nihili faciat Bellorophõtem, et Per
seum per aëra uolitantes, aut per summas ari-
stas currentes equos, aut Iouem de excelso uer
tice Olympi, totam hanc mundi machinam ue-
lut ductario fune suspendentem, & alia mere
poetica, cui nulla cum musis atque Apolline in
tercedat consuetudo. quod sanè non arte, non
exercitatione, non alia ope humana cõstare, sed
nonnullis tantum diuinitus datum esse cense-
tur. deinde, qui possit alius de tot tantisq; rebus
quas poetæ, uel destinato, uel ex occasione at-
tingunt, ornate ac copiose differere, quàm uerus
orator? hoc autem quantum sit, ne uulgus qui-
dem ignorat. quippe quum, nullius rei maior
quàm differtorum in sua lingua hominum, &
esse dicatur, & semper fuisse penuria, uix ferre
uidetur posse humanum genus tantam animi
contentionem, ut externi homines hac tempe-
state, latine, aut etiam græce, quæ uelint eloqui

poſſint, idque germano quodam ſermone Romano, uel Attico. & certe, ut ruſtice ac imperite loqui nemo non poteſt, ita eleganter, & docte non niſi eruditiſſimus quiſq; dicere cõſueuit. quòd, ſi forte aliquem inuenias, qui uel omnia legerit, ac quæcunque olim uiderit, atque audiuerit memoria complectatur, & tamẽ apti ſermonis dignitate altero uelut oculo careat, protinus tibi præ illo ſordere, immo nihil ad illum eſſe uideatur, qui facili quodam, & puro dicendi genere inſtructus, in hunc locum aſcendat. non enim quiſquam benedicit, niſi qui prudenter intelligit: nec unquam aliunde, uel mediocris dicendi facultas, quàm ex multiplici rerum cognitione, aſſidua ſtyli præſertim exercitatione, diuturna ueterum dictionis obſeruatione, ac perfecti alicuius oratoris imitatione comparatur. propterea, quemadmodum æs, aut argẽtum probari ſolet indice lapide, ita eruditum hominem dicendi facultas una demonſtrat. Poſtremo, quanta debet eſſe memoria, is, qui quotidie alia atque alia ex hoc loco penè infinita recenſeat? nam, ut cætera taceam, uix credi poteſt ab eo, qui non ſit expertus, quantam afferant difficultatẽ in recitandis hiſtoriis, uel ipſa locorum atque hominum pro

pria nomina, quæ tot plerunque ob aucto-
rum uarietatem simul coguntur, ut, de scripto
legentem, nedum memoriter pronunciantem,
impediant. tam utiq; sine ui quadam memoriæ
prope diuina, commode quisquam obire possit
hoc munus, quàm claudus in stadio uincere.
Enarrationi iũgitur emẽdatio, quæ duplex est.
partim enim, qui poetas, aut cæteros quoq; scri-
ptores interpretatur, è uariis auctorum opinio
nibus quas adducit, alias reiicit, alias admittit
rationem afferens, atque argumentis ostendens
quare id faciat, partim siquid est uitiose descri
ptum, ut multi errores in libris, uel librario-
rum incuria, uel temporum iniquitate, uel ar-
rogantis alicuius litteratoris temeritate inole-
scunt, codicum multorum collatione castigat,
nihil de suo addens, nihilq; detrahens, nisi id fa
ciendum euidenti quadam, & certa ratione co-
gnoscat: aut quæ omnino corrigi non possunt,
notare tantum satis esse existimat. quod nimi-
rum, tanti ingenii opus est, tãtiq; in litteris usus,
ut plærique facilius ex se aliquid cum laude cõ
ponant, quàm citra offensionem, quæ in alie-
nis scriptis sunt manca, restituant. His accedit
iudicium, sine quo cætera quantumuis magna
uelut nauis sine remigio, aut instar corporis

ſine ſpiritu eſſe uideantur: utpote quum eo qua ſi inſtrumento cuncta ſuam dignitatem obti-neant, & quæ ſumma putantur, ex eo maxime pendeant. etenim grammatici, ſeuera quadam & planè cenſoria grauitate, ita de antiquis ſcri-ptoribus iudicant, ut aliis primas dent, aliis adi-mant, tum ſi qua falſo inſcribantur, ceu quæ in alienam familiam irrepſerint, cum nota in-de remoueant. poetarum autem ſingula ferè carmina ponderant, & quæ minus probantur, uel ſignant inducta linea, uel etiam penitus au-ferunt, tantumq; ſibi licere arbitrãtur, ut Home ro ipſi uerſum addere interdũ turpe non du-cant. hinc, illa digladiatio Ariſtophanis, Ariſtar chi, Zenodoti, Cratetis, & aliorum. qui quod ipſi aliquando facere coguntur, in aliis ferre nõ poſſunt. nempe magni illi auctores, quos ſa-pientium omnium conſenſu merito admira-mur atque ſuſpicimus, ut homines, & ipſi non omni prorſus labe caruerunt. proinde gram-matici, quæ in eorum uelut pulcherrimo cor-pore affecta ſunt, aut reſecant, aut certe non-nunquam ſupplemento aliquo ſanant, ut ſal-tem in iis plus aliquanto quàm ipſimet aucto-res ſapere uideantur. difficillimum profectò

id ac longe rarissimum adeo, ut quod iudicium uocant, in dubio sit, utrum uis quædam animi singularis, an multæ simul artes, & longa exercitatio pariat. Cæterum, licet hæc atque alia complura, loci huius amplitudinem satis manifesto demonstrent, illud tamen luce clarius indicat, ac sine ulla dubitatione ostendit, nihil inter mortales difficilius obtineri, ac maiori cum labore tentari, quàm ut quis dici possit uere litteratus. quòd quum in omni studiorum genere satis multi quotannis apprime docti euadant, uix unus aut alter ferè singulis ætatibus queat reperiri, qui hoc officio rite fungatur. quot enim è Patauinis istis nobilibus scholis quotidie propemodum, & iurisperiti, & peripateticæ sectæ philosophi tolerabiles saltem emergunt? quot in Insubribus ad Ticinum? quot Bononiæ? quot in latio? quot in Hetruria? ut omittam interim transalpinas nationes, quæ in his iam cum omni antiquitate contendunt. uidemus autem qui publice cum dignitate poetas atque alios antiquitatis auctores enarrent, latinos quidem paucos, sed qui græcos etiam, toto terrarum orbe uix duos. atqui, constat eos, qui uariis litterarum studiis e-

mancipentur, ſimul omnes præ aliis eſſe per paucos, non quòd minoribus quàm cæterarum artium ſtudioſi præmiis excitentur, ſed quia ſummis aliquot difficultatibus, ceu obuallata ſit illa cognitio, quas certe non niſi ſtrenuus quiſque reſcindat. nanque, ut imperatorias artes, quibus ſemper maximus honos eſt habitus, cum litterarum ſcientia comparemus, multi boni imperatores extitere, qui non ferè prius didicerint caſtris locum eligere, aut aciem inſtruere, quàm in hoſtis cõſpectum uenirent, ut de Lucullo accepimus: multi paternis amicitiis uſi, prius nomen imperatoris adepti ſunt, quàm ſcirent quid eſſet imperare, ut de Octauio Auguſto eſt memoriæ proditum. quin etiã multi corpore imbecillo, ita ut lectica ferrentur, atque adeo multæ mulieres, ductu, & auſpiciis ſuis res magnas quandoque geſſerunt. nemo autem in litteris ualde profecit, qui non in earum ſtudio ſit ab ineunte ætate uerſatus: nemo, qui non ſuo magis labore, quàm alieno ſit uſus: nemo non corpore patiẽtiſſimo, atque optime à natura compacto, nec tamen duro ac horrido: nemo non animo liberaliſſimo atque à uitiis, & uoluptatibus etiam remoto, ut

ea prætercam, quæ ſunt fortunæ potius pro-
pria, iis tẽporibus ac in ea urbe naſci, quibus &
ubi potiſſimum litteræ uigeant: libros habere
cum optimos, tum etiam plurimos: eum nan-
ciſci magiſtrum, qui docere poſſit, & uelit: iis
frui ſodalibus, quorum beneuolentiam ſtudio
rum ſimilitudo conciliet: iis ſocietatibus care
re, quæ prauis moribus inquinatæ, iuuenem à
ſtudendo auertunt: quæ ſanè omnia, paucis, &
rarò contingunt. quapropter tantum eruditi
homines cæteris præſtant, quanto maiori cum
difficultate quod cupiunt, aſſequuntur. at, plus
aliquando militaris quàm litterarum ſtudioſus
homo reipublicæ prodeſt. quis negat? immo,
plus etiam refert baiulos eſſe Venetiis quàm ci
tharœdos, repeririq; multos, qui græcum ex
Achaia frumentum, aut uinum è Creta inſula
uehant, quàm qui græcam poſſint agere fabu-
lam: ueruntamen non quantum quiſque utili
tatis in publicum afferat, ſed quãti ipſe ſit, ſpe-
ctare debemus. magnum eſt igitur quaſcun-
que litteras ſcire, maximum autem quod ex
earum penè omnium cognitione conſtat, tan-
tam perſonam, quanta grammatici eſt, publice
ſuſtinere. quid ergo, id non latine ſolum, ſed

etiam græce cum dignitate præstare? quippe, is, qui græce hac tempestate docet, omnia cum latinis habet communia, præterquam quod, ut latinis auditoribus operam suam accõmodet, necesse est prius latina faciat singula, quæ ex positurus sit, quàm quicquam enarret. hoc autem nemo possit, nisi qui utriusque linguæ proprietatem optime calleat. quã ob rem si grammatici altera tantum lingua præstantes, summum in litteris obtinent gradum, uix exprimi potest, quanta esse debeat eius auctoritas, qui ex hoc loco latinis græca coniungat. Itaque patres, quum satis iam intelligi possit, quanta sit loci huius grauitas atque dignatio, non dicam uestra interesse, ut præmio nobilitate digno, uestri ordinis homines, ad hanc professionem capessendam, non aliter quàm ad dialectices ac philosophiæ studia incitentur, sed tantum uos hortabor, ne cuiusdam exiguæ pecuniæ causa, contra quàm uestræ magnanimitatis ratio ferat, turpes adeo, & prope æternas Veneto nomini maculas inuratis. omnes profectò maledictis incessere solent, uel eum, cuius negligentia generosus aliquis equus strigosior quotidie fiat, aut etiam ædes quæpiam pulchræ

uitium faciant . unde colligi facile poteſt, magna uos eſſe inuidia laboraturos, ſi tanti ſpiritus hominem, quanti profeſſionis huius difficultas requirit, miſeriis, & paupertati ſempiternæ addicitis. Nam per deos immortales, utrum cenſetis, eiuſmodi profeſſores ærarii uicem præſtare, an poſſe centum aureolis duntaxat, & domum conduci foro uicinam, & amictum parari hac urbe atque hoc loco dignum, & familiam tolerari quamuis exiguam, non ſordidam tamen, in iſta præſertim annonæ caritate, quæ inter tot ſcripturæ ac portus magiſtros, eſſe conſueuit? at inquit non nemo, ut de uultu intelligo, neſcis parſimoniam maximum eſſe uectigal? proinde uilius habitato: indumentis uilioribus utitor: neminem domi alito, præter Xanthippam aliquam uetulam, ut Socrates etiam factitauit: malam quidem illi peſtem, qui loci huius dignitati, tam imprudenter illudat. ſed tu, equiſcõné aliquem iſthæc admoneto, nõ humanitatis profeſſorem, qui ut par eſt, nihil humani à ſe alienum putat, & quæ corporis ac fortunæ dicuntur, non ſolum animi bonis adiuncta, uerum etiam per ſe aliquid eſſe exiſti-

mat. equidem non uideo quæ ſit in hac ſtipendii paruitate poſita ratio. primum enim, qui patrimonium amplum poſſideat, nequaquam ſi ſapiet tanti facere uidebitur exile iſtud æs, ut quotidie ex hoc loco uelit alta uoce ad rauim uſque contendere. deinde, qui aliud in quæſtu habeat, aut operam ſuam priuatim locet, nunquam ut arbitror, tanto oneri par eſſe reperietur. rurſus, qui de ſalario tantum, quod ipſe facio uiuat, uix ſe cum ancilla una, & puero ſuſtentet, ſi non, hoſpitem, non amicum cœnæ adhibeat: ſi nullam ducat uxorem: nullam ſuſcipiat ſobolem: nullo poſteritatis nomine delectetur: idque ſapienter, ne liberos illos relinquat, qui ob paupertatem ſeruire cogantur: quod quidem per ſe miſerum eſt, ſed multo miſerius illi, qui tam liberali parente naſcatur: ſi denique deliciis ſibi omnibus interdicat, quæ animum immenſa illa ſtudiorum mole afflictum, recreare ſolent; ac nimis intentum, aliquando remittere. unde, & uita breuior ſine dubio fiat, & annuæ propemodum ægrotationes, immaturæ fronti canitiem intempeſtiuam offundãt. O' miſeram ſortem.

O' infelicem conditionem, & qua nihil indi-
gnius, sol oriens possit aspicere. I nunc tu, & bi
nos sæpe dies perpetua lucubratione cōiūgito,
tuumque sanguinem ac spiritum, tantis labori-
bus exhaurito, ut tandem ab iis, qui in cœno-
bio uiuunt, sola libertate distinctus, ad ultimam
usque senectutem, donec animam effles, cum
importuna paupertate lucteris. age porrò, ut
manifestius appareat quid de uobis iudicaturæ
sint externæ gentes, fingamus adesse aliquem è
uestris maioribus, quorum imagines, ut prin-
cipum ciuitatis, mitratæ, cum prolixa barba in
comitio stant, RHAINERIVM si
lubet ZENVM, qui sublicium illum ma
gnum in riuoalto pontem extruxit, uel eo an-
tiquiorem DOMINICVM MAV
ROCENVM, qui turrim istam præal-
tam in foro excitauit. nempe, ille sic dicat.
Adeo ne omnia tempus, & rerum uicissitudo
immutat, ut innatam ciuibus nostris sapien-
tiam, munificentiam, animi magnitudinem,
auferri posse credamus? ut priuatim, fruga-
litati opulentia, publice uero, liberalitati ac ma
gnificentiæ parsimonia quædam indigna suc-
cedat? an ideo, nos olim tantam pecuniæ uim

in ornanda urbe consumpsimus, quo dignior sedes tam amplo imperio uideretur, ut essent aliquando in ea, qui tam paruifacerent eius professionis uiros, quæ omnium putaretur esse pulcherrima? ecquādo hæc ciuitas multa in communem usum prima non attulit? ecquando ab aliis inuenta non perfectius multo excoluit? uos auté ò magnanimi patres, quum terræ græciæ domini sitis, græcorumq́; librorum non solum ingentem numerum, antiquitatis uenerandæ reconditum habeatis, sed etiam maximas atque optimas officinas græcarum litterarum, professori qui ab aliis Italiæ populis ducentos, & amplius quotannis aureos habere consueuit, non nisi centum dabitis? tantæq́; uirtutis ac industriæ uirum, in cerdonis alicuius, aut zonarii censu ponetis? & quæ studia si, apud uos primum nascerentur, propositis præmiis in maius euehere deberetis, ea iam adulta, & toto penè terrarum orbe propagata, iusto uelut alimento fraudabitis, ac restinguetis? uester igitur ille, si adesset, ut iure suo facere posset, ita loqueretur, eiq́; certe, ut grauissimo homini, ac uera dicenti, nemo non crederet, nemo nisi improbus succenseret. quare, uestræ prudentiæ est patres, operam dare, ne ab alienis eadem, aut

fortaſſe grauiora diutius audiatis. id autem fa-
cile fiet, ſi profeſſioni huic, aureos ducentos,
non nouo exemplo, ſed pro ueteri conſuetu
dine reſtituendos curabitis: ut eos profectò nõ
mihi aut aliis, quos equidem uideo cuiusmo-
di futuri ſint, ſi me aliqua neceſſitas hinc forte
abegerit, ſed honori publico, & maieſtati hu
ius tam auguſti imperii detis: atque ut eam opi
nionem, quæ apud exteras nationes de ueſtra
bonitate inuulgata eſt, non modo confirmetis,
uerum etiam tanta acceſſione liberalitatis ac
magnificentiæ, augeatis. Venio nunc, ad di-
luendas calumnias, ut quum id fecero, uobis
oſtendam, me illum ipſum eſſe, quem in pri-
mis (ſiquid in hac cauſa priuatim ratio cuiuſ-
piam ualet) hoc uelut aliorum promeritorum
& beneuolentiæ cumulo proſequi debeatis. ac
propterea, quòd diſceptatoribus utor ſapiẽtiſ-
ſimis atque humaniſſimis uiris, qui nulli tan-
tum neque odio, neque gratiæ tribuendum pu
tent, ut quicquam temere ſuſpicentur, nedum
etiam credant, omittam multa, quæ in totum
iſtud calumniatorum genus, ab honeſtis patro-
nis plærunque iactantur; nequam eos eſſe at-
que iniurios adeo, ut nemini parcant, qui &
Miltiadæ olim patriæ ſeruatori proditionem,

& Socrati homini sanctissimo impietaté obiicere non dubitarint; qui suis clandestinis delationibus, non solum fidos inter se amicos, uerum etiam cum parentibus liberos sæpe committant. atque ut breuiter agamus, de ueteri quadam tabella, expressam imaginem calumniæ ipsius accipite, ut quum eam quasi uideritis, pro uestra prudentia, non tantum quæ sit, sed quas etiam uires habeat, cognoscatis. Apellem quendam Ephesium pictorem ferunt insimulatum ab Antiphilo item pictore, apud Ptolemæum Aegypti regem, coniurationis illius, quæ facta erat Tyri duce Theodota, atque ab eo discrimine, tandem coniuratorum testimonio, quum de ipsis supplicium summeretur, liberatum, ita ut pœnitentia regis centum talenta, & Antiphilum illum sibi addictum in seruitutem acciperet, huiusmodi pictura calumniæ indignitatem spectandam omnibus uoluisse proponere. ad dextram sedebat uir quidam auritus, perinde ut Midam poetæ describunt. duæ itidem mulieres latus eius utrunque stipabant, Ignoratio atque Suspicio. à sinistra uero accedebat fœmina quædam ualde formosa, uultu irato, manu altera facem gerens, altera iuuenem crinibus arreptum trahens, brachia ten-

Calumniæ imago

dentem, & præ iniuria cœlum ac ſydera conteſtantem. duas quoque pediſſequas ſui ornandæ cauſa ducebat, fraudes atque inſidias. præcedebat autem famulus quidam macer, & pallidus, oculis neſcio quibus faſcinatoriis, trãſuerſum contuens, nomine liuor. pone uero, ſequebatur pœnitẽtia, mulier atrata, luctum uultu præ ſe ferens, quæ miſeram ueritatem pedetentim aduentantem pudibunda reſpiceret. hac igitur figura ille, ſuum quoddam ueluti naufragium retulit. ſed operæprecium eſt, uos patres cum alia ſingula cõſiderare, tum uero illud, ubi calumniam, facie liberali ac uenuſta depingit. etenim hoc uitium in iis potiſſimum, qui modeſti ac probi uideri uolunt, aut fortaſſe alioqui ſunt, plurimum dominatur. nam, quid aliud innuunt poetæ, quum aſſerunt Palamedi periculum capitis fuiſſe conflatum non à Therſite omnium impuriſſimo, ſed ab Vlyſſe, qui cæteris multum uirtute præſtaret? quis unquam putaſſet Ariſtidem, quo nemo iuſtior Athenis eſt habitus, tanta eſſe inuidia, ut eiiciendi ex urbe Themiſtoclis auctor exiſteret, cuius uirtuti ſecum uxore, ac liberis, patriaq; deberet? quapropter exuite ex animis ueſtris, omnem eorũ memoriam, qui apud uos, de me, aliquid detulerunt,

runt, atque rem nudam ſine ullius perſonæ au
ctoritate perpendite. homines enim ut amãt,
ſic etiam odiſſe poſſunt, & inuidere. Arguunt
me bis ægrotaſſe. equidem libenter iſtuc ſi poſ
ſem, negarem. ſed quoniam meo potius dam-
no quàm culpa eſt factum, fateor: ſed ita, ut il-
lud non prætercam, quod ipſi precipue tacent,
me, quum primum æger factus ſim, nullum ſti-
pendium feciſſe, nec publicam attigiſſe pecu-
niam, donec in hunc locum ſanus ac meæ ſpon
tis aſcenderim. poſt autem, annuo ſpacio nul-
lum illuxiſſe diem, quo ego hic fuerim deſide
ratus. uerum, quid tandem eſt hoc? num ita æ-
grotaui, ut poſtea inutilis factus ſim? an mihi
fraudi eſſe debet, ſi quod mali paſſus ſum aliàs,
dum aut ueſtros oratores terra mariq; ſequor,
aut ueſtris imperatoribus operam nauo, in hãc
demum ætatem erupit? poſſem certe comme-
morare inediam, atque uigilias, poſſem labo-
res, & æſtus immodicos, poſſem uentos ac plu-
uias, poſſem deniq; flumina media hyeme pedi
bus, aut natando tranſmiſſa, ſed in tam ridi-
culo crimine, tantos ſonitus excitare non licet.
uideamus ergo quod ſequitur. Aiunt paucos
ad me audiendum conuenire: quod quan-
quam manifeſto eſt falſum, nihilo ſecius ta-

men quid dicant quæso aduertite. damnant profectò uel litteras græcas, uel mores urbis, & iuuentutem à studiis alienam, uel me indoctum, aut etiam si diis placet, ineptum. si litteras græcas, næ illi callide faciunt, qui simulent se id abiicere atque contemnere, quod infeliciter aliquando tentarunt. si mores urbis, uideant homines grauissimi ac nostri censores, ne se prius eodem scelere obligent, quàm aliis quicquam obiiciant. si me, qui istuc sine ingenti flagitio facere possunt? primum enim (defendendi mei non gloriandi causa loquor) eum hominem damnant, qui non largitione ut pauper, non gratia ut longis peregrinationibus penè ignotus, sed sola uirtute quantulacunque ea fuit, diis, atque hominibus approbantibus, hanc dignitatem sit assecutus. deinde Veneti Senatus iudicium, uestrum inquam iudicium reprehendunt. proh summam temeritatem. tu ne tot clarissimorum patrum fidem non probas? tu, eos omnes præ te uno contemnis, quos uniuersus terrarum orbis ueneratur & colit: quorum sapientiæ, non humana tantũ cõsilia, sed etiã, ut superioribus annis apparuit, ipsa rerũ domina & moderatrix fortuna concedit? at mihi nõ places. ita ne uero? istud scilicet

dicere est omnibus displices. quid? si nollé etiã tibi placere si possem? utrum cẽses te plus aliis sapere, an me tot eruditissimis uiris, qui me laudarunt, precario placuisse? nimirum sic fit libenter in aliena causa doctissimus quisque de sua existimatione periclitatur. O' dii immortales, quo ore, qua impudentia sit ille qui alterum roget, ut pro se, publice, non in capitis periculo, sed in ambitiosa quadam honoris contentione mentiatur, ut quantum alienæ uoluntati permiserit, tantum suo nomini deroget: dũ aut boni uiri opinionem amittat, aut se nullo esse iudicio palam omnibus faciat. sed finge, ab uno aut altero id posse impetrari, num etiã planum facis, in finitos propemodum, qui me suo testimonio tam ampliter ac magnifice ornarunt, pro me gratis esse mentitos? at, elaborata quædam huc attulisti. quid? aliena dicis an mea? si aliena. cedo, cuius? si mea, ut fateri necesse est. proh dii omnes, quid loquimur, aut ubi gentium sumus? nonne quum eruditionem atque ingenium negare non possis, memoriam etiam laudas, quod de te certe non speraram? neque uero idcirco ego hæc disputo, quod nouum ullum iudicium reformidem. uidi iam inde ab initio patres, hanc tempesta-

tem,& mea semper ut potui armaméta collegi. erupit tandem illa procella,& certe nõ improuisa in nostrum latus incubuit. proinde, siquis se magis ex usu uestro forè pollicetur, quod utinam sic esset; equidé primus pro mea in uos singulari beneuolentia, publicæ utilitati consulerem: si quis inquam de se tantum pollicetur, prodeat in concionem, cõmittat se populo, recedant operæ, facessat grex ille totus, qui de nobis iudicare nõ potest, sit hoc sacrosanctum, ut olim fuit optimo quoq; disceptatore iudicium. næ ego homini illi, quicunque fuerit, si millies oportebit, uos de me prudenter ac syncere iudicasse monstrabo. sed reuertamur ad crimen id falsum, quod etiam si uerè obiiceretur, nulli dubiũ esset, quin potius in aliena quàm in mea culpa hæreret. non ita multos esse, qui græcis literis operam dent, nemo ignorat: tum quia nõ pueri, quorum magnus est numerus, sed uiri iam latine periti, ad eas cognoscendas accedũt: tum quoniam ea est rerum natura, ut quæ pulcherrima sint, eadé & difficillima uideantur: ac proinde rarissima etiã fiant. plures enim multo reperias fabros lignarios, qui in domiciliis tigna grandi quopiã ferraméto edolent, quã qui simulachrum aliquod scalpello excidant. mirũ

igitur non eſt, ſi græce non admodum frequen ti corona docetur. at, Marcum Muſurum plu- res audiebant. nunquam hercle me cum uiro omnium opinione clariſſimo, ac meo præce- ptore compararim: ſed duo mihi potiſſimum deſunt, quæ magno illi adiumento fuere. pri- mum, quòd Patauinæ ſcholæ, poſitis armis illi- co pro ueſtra ſapientia ſunt reſtitutæ, ad quas ſubinde multi è noſtris auditoribus adeunt, quum ille cõtra ex earum reliquiis, cœtum ſuũ à primo contraxerit, & quotidie magis augere potuerit. deinde, quòd oppida iſta uicina, tam atrocis belli terroribus liberata, ſuis ciuibus fre quentantur: quorum ingens copia docente illo Venetiis aderat. quare, nos longè paucioribus poſſemus eſſe contenti. uerum, quid ſi tot aut quandoque plures ad me audiendum conue- niunt? quid, ſi multos etiam domi à primis ele mentis inſtituo? neque id facere dedignor, nul la mercede, ſed utilitatis tantum publicæ ſtu- dio? ut hæc, quam uidetis, annum iam ſedi no ſtræ affixa pagina indicat. eſt ne, quicquam cau ſæ, cur delatores iſtos non peius oderitis, quam totidem, ut leuiſſime dicam, fures atque ſica- rios? qui ſi mihi ueſtem hanc, quam unicam habeo, ſuſtuliſſent, aut iugulum hunc bene de

uobis meritum peterent, nisi magnis suppliciis afficerétur, clamarét omnes euersam esse rempublicam: iidem impunè per uos hoc quicquid in me est, honoris ac famæ, pro quo ego toties hanc animam atque hunc sanguinem effundere uestra præsertim causa pulchrum putaui, labefactare ac infringere nunquam cessabunt? quousq; tandem uestra facilitate, ac mea patientia perditi homines abutétur? qui, quod ipsi uolunt, id unum ius aut fas esse existimãt? etenim, qui uestrum iudicium damnant, præter eos, qui inuidiæ stimulis exagitati, & tantum non in rabiem acti, ceu uillatici canes honestissimum quenque allatrant, ii sunt, qui olim uel gratificantes alicui, uel sua temeritate adducti, ut aliquid esse uiderentur, me oppugnare uoluerunt. nunquam mediusfidius parcere dicitur is, qui immeritum aliquem semel offendit. cõscius enim suæ malitiæ, eum odisse non cessat, cui se suspectum esse intelligit. quã ob rem patres, horum improbitas atq; audacia postulat, ut si unquam alias, nunc maxime uestri etiam cõpendii causa, mei ornandi ratio habeatur: ne si aliquid in alienandis à me studiis uestris profecisse uideantur, eò demum prorumpãt, ut nõ ætas, non uirtus, non res gestæ, aut maiorũ glo-

ria, quenquã possit ab ipsorum libidine ac scele
re uendicare. non enim fermè unquam perni-
cies ulla respublicas peruasit, quæ non à prin-
cipio dissimulata, paulatim uires assumpserit.
quæ quum ita sint, oculos huc alleuate, ac me
paulisper intuimini. agnoscitis ciuem uestrum?
quem uosmet ipsi, uestris manibus, in hac sede
collocastis? ne uelitis igitur obsecro uos at-
que obtestor, ut uestrum beneficium, homini
uobis carissimo, ueneficium fiat; dum stirpis ali
cuius instar bene quidem satæ, sed malè cultæ,
paupertatis sordibus eum obrui sinatis, & eum
certe, qui uestram rempublicam in pace, bonis
artibus ac litteris ornat, in bello autem, ab ho-
stium telis, suo corpore non dubitauit aliquan-
do protegere. qui semper tanta caritate patriã
coluit, ut ne ad exilium quidem satis honestũ
sibi locum reliquerit. nam quo me uertã si me
liorem fortunam quærere libeat? eam ne in Hi
spaniam, ubi grandem pecuniam (nõ ficta, sed
nota loquor) & meam ipsius salutem pro uestra
utilitate neglexi? an in Galliã, ut quas condi-
tiones desiderio uestri, spõte oblatas repudiaui,
eas iterum profugus quærã? an potius in cõtra
riam partem me abdam, quum Epidaurii, quæ
amplissima ciuitas in Dalmatis est, obsignatis

iam tabulis cum tanto ſtipendio, quantum ma
xime per eorum leges dari potuerit, deſtituti,
fidem meam ſuſpectam omnibus faciant? er-
go cis alpes, & mare ſtabo? ne id quidem face-
re licet. quando, & Lucenſes, qui duplum of-
ferrent (aureos inquam ducentos) non auditi,
magnam mihi inuidiam apud Italicas urbes cõ
citarunt, & nobiliſſimus Cardinalis, ueſtra cau
ſa relictus, clamat, omnes mortales præ uobis
unis à me eſſe contemptos. uiuam itaque uo-
biſcum neceſſe eſt, atque ita uiuam, ut, ſi quod
peto negabitis, dum corpus hoc uiget, dum ali
qua gratia ualeo, paupertatem amicorum libe-
ralitate ſuſtentem. poſt uerò, præcipitata ætate,
anguſtiis rei familiaris, nõ fati neceſſitate con-
ficiar. feram tamen omnia libenter, atque ut
ego uobis ſemel, ita uos mihi ſemper placebi
tis. Quare, ſi manet in uobis auitũ illud laudis
& gloriæ ſtudium, ſi priſtinæ uirtutis, & beni-
gnitatis in me ueſtræ non eſtis obliti, quæſo uos
patres, & loci huius dignitati, quæ publica eſt,
& meæ inopiæ conſulatis. Dixi.

M D X X.

Menſe Nouembri.

VICTORIS FAVSTI ORATIO QVA BONARVM LITTERARVM STVDIA COMMENDANTVR



REQVENTIA uestrum, atque hæc amplissima concio, quã mihi toties iam pro uestra humanitate, singulariq; in me studio præstare consueuistis, recte forsitan me hodierno die admonuit, ut quæ mecum ipse in communem omnium utilitatem sæpe animo uolutarã, eadem apud uos, quantum mea in dicendo facultas pateretur, quam quidem per exiguam esse intelligo, uerbis explicare, ac consequi oratione conarer. omnes enim, quibus publicum aliquod onus incumbit, operam dare oportet, ut quemadmodum olim de multis beneficium populi atque honorem petere non dubitarunt, ita etiã ipsi, multis prodesse, omni officio ac pietate nunquam desistant. Video autem quum animi mei sensa cogitationesq; intueor, permulta esse, quæ tum ui sua, tum publicæ utilitatis ratione dici omnia postulent. rursus, quum

ſingula parumper quaſi euoluo, atque perſpicio, non dubito, quin ſi de unoquoque ſingillatim dicere inſtituam, & loci huius dignitas, & noſtræ conſuetudinis modus, & diei ſpacium, quod ad dicendum ſupereſt, multa me cogat omittere. quoniam igitur ſi dici omnia nequeunt, præſtat tamen commodè aliquid potius quàm nihil omnino abſoluere, exponam breuiter duo, ut arbitror, loci huius ac temporis maxime propria: & ea præcipue, quæ iampridem apud me, omni prorſus dubio uacant, uobisque facile, perſuaſum iri poſſe confido. primum, nihil eſſe in rerum natura, quod facere maius ſit operæprecium, quàm ſi quis litteras diſcat: deinde, cur non ſatis uere dicatur is litteras ſcire, qui græcarum omnino ſit expers. hæc nanque, id genus eſſe cenſeo, ut ſi cui, uel minimum in ipſis quatenus principia ueluti quædam ſunt errare contingat, ille totũ uitæ inſtitutum ab eo curſu detorqueat, quo ueram felicitatem, quanta maxime homini data eſt, bonorumq; omnium portum tenere tandem poſſe uideatur. Et quãquam eſſe quoſdam noui, qui eadem atq; ego, nonnullos item qui longe contraria ſentiant, non tamen iccirco mihi uerendum puto, ne aut

propositio

his tedio, aut illis odio sim. nam, si in eadem aliqua opinione cunctos simul esse cognoscerem, tunc si eodem quoque, & mea demum sententia pertineret, nihilq; nouum afferret, superuacua certe ac inutilis uniuersa esset oratio. quod si contra ire obuiam omnino contenderem, periculum esset, ne importuni hominis atque adeo nimium sibi arrogantis notam subirem: dum simul omnes potius, ut par est, quā unus ego recte sentire uiderentur. sed quoniam se nunc res aliter habet, æquum esse arbitror, ut, qui ante hac eadem per se ipsi uidere, quum meam sententiam ad suam non inuiti adiunxerint, seque in ea cōfirmarint, socii quodammodo ad persuadendos alios facti, benigne atque attente audiendo, taciti faueant, non indignum rati, me, quem unum hic publico ex munere decet iis de rebus, de quibus ipsi fortasse melius dicerent, uerba interim facere; qui uero secus, meminerint eundem illum hominem qui non optime omnia, interdum quædam sapientissime dicere. atque ideo non tantum quis dicat, sed quid à quoque dicatur, esse considerandum. neque enim alia de causa tot conuentus, totque concilia semper, & ubique, haberi solita sunt, quibus subla-

synodi conuentus concilia

tis purum ſanè aut nihil, quo genus humanum à cæteris animantibus diſtet, inuenias. ac non ſolum homines in bene inſtitutis ciuitatibus, uerum etiam dii immortales inter ſe, ut poetæ affirmant, liberum ſententiæ dicendæ locum unicuique reliquerunt. at ſi dicentis auctoritas, nõ ratio ſequenda ſit, facilè fiat, ut, dum ſe quiſque plus amat, plus etiam ſibi credendum eſſe exiſtimet. omnes profectò omnibus in rebus, quæ optima ſint, quærere inſtituunt: & quæ tandem inuenire queunt, ea optima iudicant. natura tamen comparatum eſt, ut facilius, quæ optima, de multis eligi poſſint, quàm ut eadem ſeorſum quiſque perſpiciat. propterea, non id cõtinuo ſummum haberi debet, quod diu quæſitum alicui ſit, ſed quod multorum comparatione, reliquis omnibus præponendum eſſe uideatur. præterea, qui non eadem ſentiunt, aut ſibi met ipſi diuerſa perſuaſere, aut ab aliis acceperunt. ſi ſua ſequũtur inuenta, nihil eſt quod me uel cæteros etiam aliter opinantes nolint audire. ſiquidem eſt ab omni uerecundia pariter, & honeſtate ſeiunctum perinde, ſibi placere ac ſua tantum probare, ut ne ad aures quidẽ aliena unquam admittenda eſſe cenſeantur. ac, ſi prudenter is agit, qui nouam monetam non prius

aut accipit, aut ſibi retinendam putat, quàm multorum iudicio comprobetur, non certe ſapienter factum defendi poteſt, ſiquis ſua unius opinione cõtentus, quid aliis item uideri poſſit cognoſcere negligit, atque audire non curat. ſi uero ab aliis tuentur accepta, non eſt cur amplius id facere dedignentur, quod aliquãdo fecerunt. quippe, quum uideant ſi neminem unquam audire uoluiſſent, ne id quidem ſe habituros fuiſſe, quod nunc firmiter adeo teneant. ac itidem fieri poſſe, ut ſi de quopiam magis cõſentanea rationi audire cõtigerit, potiora deinceps magisq́; decora ſectentur. etenim turpe non eſt quæ optima ſint, forte neſcire, ſed longè turpiſſimum, ne propoſita quidem atque oblata uelle cognoſcere. De duobus igitur ii bonis alterum audiẽdo capiant neceſſe eſt: quoniam uel depoſita omni ſuſpicione reperiri poſſe meliora, ſi noſtra hæc uana, & friuola ſecum ipſi ratione conuicerint, ſuis liberius inſiſtere poterunt: uel ſi, ut ſpero, uoci huic non meæ, ſed quã me ueritas ipſa, & incredibilis in uos amor cogit emittere, ſe faciles præbere uoluerint, uetera illa ſua, in noua, & multo præſtãtiora mutabunt. neq; enim dedecet eum, qui uel ſapiẽtiſſimus habeatur, in alterius atque etiam alicuius

de populo ſententiam ire, quam ueram eſſe intelligat. quandoquidem nil refert ſi quod per ſe quiſque facturus ſit, monente alio protinus faciat, ut pote quum non magis aliena ratione adductus, quàm ſua ipſius, ultro in id conceſſiſſe uideatur. quòd uidelicet nemo ſit, qui neſciat, nõ idem omnibus, ne ſingulis quidẽ ſemper uideri: ac eſſe multa, quæ nõ niſi loquentibus demum nobis intento animo diu quæſita ſuccurrant, quo facilius eadem quoque audientibus ſponte in animum ingredi poſſe credãtur. quapropter, dum quæ ſentio, & quare, paucis expedio, nuda quamuis, & inculta dictio cuiquam moleſta eſſe non debet. niſi quis forte adſit, ut non neminem poſſe exiſtimo, qui de maioribus quaſi per manus traditam aliquam conſuetudinem auitaq; ſtudia ſuperſticioſe adeo colat, ut illud denique optimum ducat, quod uulgi patrocinio ac populo aſſertore nõ careat: qui ſi noſtris offendi ſe putabit, quæſo ne priuatim in ſuam uertere uelit iniuriam, quæ publicæ utilitatis ſtudio liberè dicenda ſuſcepi. ſed iam quæ in medium attuli, ut res poſtulat, ſic probare aggredior. Quæcunque natura producit, ea protinus ab initio quum ſeſe omnia diligant, illud in primis quærunt, ut abſoluta, & undiq;

perfecta esse uideantur. nempe, ut ea tantum sequamur, quæ facillime possunt intelligi, quoniam figurarum optima esse dicitur, quæ ad orbē spectat, propterea quod dum uergit in sese tota minimum detrimenti facere possit, minimoque lædatur, uidemus nihil ferè usquam esse, quod non aut rotundum, aut teres saltem appareat. nam, quid ego rem altius repetens, cœlestes orbes cum suis syderibus, terræq; globum, atque in eo stirpium caules, & truncos, animalium membra commemorem? quando, uel in pratis matutino adhuc rore madētibus, passim per folia, rotūdam in speciem collecta gutta formatur. ac, ne in re nimium manifesta diutius immoremur, nemo est rudis adeo, aut ignauus, qui non, si minus conetur, at certe desideret nō modo se cæteris præstare, uerum etiam sua omnia præstantissima reddere. atque ita omnes id cupiunt, ut rem plerique desiderio non facultate metiantur; & quum longissime absint, se tamen eximios esse iudicent. nimirū, quod quisque in uotis habet, id etiam nescio quo pacto temere credit. quum autem omnes animātes, perinde ut cætera cuncta, quædam habeāt propria, quædam uerò, cum reliquis quoque communia consentaneum est rationi, ut cum in aliis,

orbicularis figura opt

tum in eo potissimum uelint excellere, quod quæq; uideat sibi maxime conuenire. sed quẽadmodum equi ad soli planitiem, delphini ad undas, aquilæ ad sublimia tenenda nasci uidentur, atque id statim ex ipso corporis habitu, ac omni eius parte præ se ferunt, ita hominem ad ratiocinandum atque intelligendum, ore in cœlum erecto, credi par est à natura esse formatũ. quare nulli dubium relinquitur, quin, nisi consuetudo quæ plurimum potest, naturam corruperit, scire quamplurima, & rerum cognitione præstare nobis expetẽdum in primis sit, ac summa ope nitendum: utpote quum ex eo facultatibus animi, & ipsius mentis uiribus ad capessendam uirtutem atque honestatem magna subinde fieri possit accessio. uerum, quia sensibus uelut administris, & corpore, quicquid agit animus indiget, necessario corporis statura quædam, speciesq; ac dignitas, & precipue bona ualitudo desideratur. nihilo secius etiam quòd homines solitudinem, naturæ quodam instinctu abhorrẽt, atque ad congrediendum, societatesque iungendas, ita sunt facti, ut quæ in eis pulcherrima sint, ea omnium potius quàm unius cuiuspiam esse uideantur: & opes parare industria, & obsequio ac dexteritate gratiam inire,

& munificentia magnanimitateq; potẽtiam si-
bi conciliare, unicuiq; rerum magister usus, &
uiuendi ratio persuasit. hinc certe Aristoteles,
de quo primum hæc, aliter quamuis tractata, di
dicimus, ex Thaletis prope sententia uitã per-
fectam (cui felicitas innitatur) esse dicit, quum
ad animum undiq; excellentem, bona corporis
habitudo, & rerum earum copia, quas fortunas
appellant, ceu cumulus aut instrumentũ ueluti
quoddam exercendæ uirtutis accedat. item &
Crãtor ueteris academiæ quartus à Platone de
fensor, primas uitæ hominum partes uirtuti at-
tribuit, deinde bonam ualitudinem atq; opes,
& alia quæ aut corporis, aut fortunæ dicuntur,
suis quasi ordinibus cuncta disponit. nam qui
nihil in bonis esse constituunt, præter gloriam,
ut multi, aut animi tranquillitatem, ut anti-
quissimus naturæ indagator Democritus, aut
scientiam ut Herillus, aut uirtutem, ut Aristo,
ac itidem ferè stoicorum princeps Zeno, ii
partem illam tantum, quæ in nobis maxima
est, atque uim mentis solam nudamque respi-
ciunt. qui nihil præter uoluptatem, ut Aristip-
po auctore Cyrenaici, & Epicurum ducem se-
cuti olim Italici, atq; item qui nihil nisi doloris
uacuitatem expeti debere proponũt, ii corpo-

ris duntaxat uidentur habere rationem. at uerò, qui ſimul cum honeſtate, uoluptatem aut doloris uacuitatem iungunt, ii nec corpus omnino, nec animum negligunt. qui autem ſummopere diuitias admirantur, ii tantum in humana ſocietate ponunt, ut hominem per ſe, ne hominem quidem putare uideantur. et ideo totam iſtorum philoſophiam, quæ hominem ita excolendum ſuſciperet, ut tamen aliqua ex parte horridum eſſe, ac uelut ſquallere permitteret, iam eruditorum conſenſus repudiauit. proinde, uiderint ii quoque an rectè ſit factum, qui res hominum, atque adeo ciuilem conſuetudinem auerſati, nomen etiam ſibi à ſolitudine indiderunt. quam ob rem, ut nihil eorum, quæ natura homini dedit, abiicere, atque ut ait poeta, nihil humani à ſe alienum putare, optimum eſſe concluditur, ita etiam planum fit, eos certiſſimum ad ſui perfectionem iter tenere, qui cognitis iis, quæ prima in homine ſunt, illa ipſa quaſi felicitatis humanæ propugnacula quædam occupare conantur. Porrò, quis dubitet ea in nobis eſſe præcipua, quæ animi appellatione cenſentur? etenim, ſi res omnes ſuis cauſis dignitate concedunt, atque ſi animus uirtute inſignis tum moderatione, corpus à mor-

borum iniuria uendicare, tum opes quærere prudentia poteſt, multum ſanè animi facultates cæteris præſtare conuincitur. nanque, ut in memoriam præterita reuocemus, quis ulla uictoria, quam uel maxima fortunæ amplitudo conſequitur, aut doctior, aut diſertior unquam euaſit? quis de palæſtra, uel ſtadio, quicquam quod auctiorem animum reddere poſſet, reportauit? at contra, multi certe ſapientes ſummam corporis debilitatem ab ea uelut ruina, quam quotidie minari uidebatur, diligentia præſeruarunt. quid autem infinitas penè opes à ſapientibus aliquando partas obiiciam? quum olim, non niſi ſapientiſſimi quique, populis & nationibus imperarint: ac eò dignationis plerique peruenerint, ut deorum immortalium numero habiti, poſitis etiam aris templiſq; colerentur: qui ſi nihilo ſecius extitere mortales, nominis tamen ſui memoriam immortalitati conſecrarunt. Neque uerò quiſquam mentis compos, ea bonorum ſumma conſtituat, quæ, multis grauiſſimiſque incommodis compenſantur. ſiquidem, & robur illud eximium raro fugit inſidias, & magna uis opum, magna inuidia carere non poteſt. nam uulgus homi-

num ea ſolet mirari, quæ ſenſu percipit: animi uero bona nec nouit nec qualia ſint ſuſpicatur. propterea neque ſapientibus inuidet, neq; quicquam ab eis auferre conatur. iccirco etiam, non niſi fortioribus olim præmia ſacris in certaminibus fuere propoſita: atque in ciuitatibus non ſanè quàm optime inſtitutis ſemper ad honores, recto quodam tramite cenſus aſcendit. quis autem Siſyphus, cui ſupra caput ſaxum impendere antiquitas tradidit, cum eo conferatur, qui uel aliena, uel certe plus multo quàm pro rata parte poſſideat? Dii immortales, quæ curæ ſuſpicionis nonnunquam inter ſe contrariæ, qui terrores nulla de cauſa plerunque oborti, felicem illum imperitorum iudicio diu noctuque ſollicitant, dum ſibi diffidit, ueretur omnes, cauet etiam alioqui cariſſimos. adde, quòd auaritia malorum omnium radix, perinde ut caprificus ad ſaxa, non facilè niſi opulentiſſimo cuiq; inhæreſcere conſueuit, ut eiuſmodi homines ſepulchris ſuis ſimiles uiui eſſe dicātur; quibus teterrima ſorde oppletis, aurū extrinſecus niteat. idē profecto iis uſu uenit, quorum opes cōmunem ſortem excedūt, quod etiā coloſſis, propter magnitudinē accidit. quippe

dum exteriora tantum artifex ornare instituit, si quis introspiciat, fulcris & statuminibus, atque obuersis inter se clauis, horrere omnia uideat. præterea nemo id optimum dixerit, quod sua magnitudine possit officere. at, quemadmodũ sapientia corpus tueri, fortunasq; suas augere solet, ita uires immensæ, aut opes immodicæ, cum summa prudentia stare non possunt. exẽplo sit Polydamas fortissimus ille multarum coronarum athleta, qui quum ex itinere ob repẽtinum hymbrem in quandam speluncam diuertisset, eaque desuper ingruẽtium aquarum põdere uicta fathisceret, suadentibus fugam comitibus, tantæ ruinæ solus humeros opponere non dubitauit: nec aliud quicquam sua temeritate profecit, quàm ut spirans adhuc, sepulchrũ sibi non defuturum uideret. Milo item crotoniata, qui iustæ magnitudinis taurum suis humeris gestasse in Olympia traditur, quem nemo unquam de uestigio mouit, cuius digitos, si pomum teneret, nemo diuellere potuit, temeritatis pœnas dare coactus est. quum enim secundum iter quercum, ut solet, cuneis scindi cœptã offendisset, loci eius hominum imbecillitatem increpans, manus induit in fissuram, neque tamen plus eam potuit una spiritus cõten-

tione diducere, quàm ut exciderent cunei: sicq; cito iterum coeunte materia, se ipsum ad stipitem, digitis penè attritis, ob nimiam præssuram deligauit. post, à feris, quas nec fugere nec aggredi posset, miserrime discerptus, interiit. en, quo se uires prudentia destitutæ sua mole præcipitant. Pari ratione quis dubitet summis opibus homines, uelut ebrios factos, in suā perniciem ruere? nam quid aliud Sybaritarū principibus, ut equos suos binis tantum pedibus niti, atque ad tibiam saltare docerent, persuasit? unde crotoniatæ facillimam nacti uictoriam, ipsos cum uniuersa ciuitate delerēt. quid Xerxem eò uecordiæ adduxit, ut dum nouæ alicuius uoluptatis inuentoribus præmia proponit, bello uictus, ludibrium cunctis mortalibus fieret? quid Antiochum, ita infatuauit, ut dum coquinaria etiam uasa toto exercitu argētea fieri studet, prædam potius hosti, quàm regno suo præsidia compararet? mitto autem Sardanapalos, & Ptolemæos, itemq; complures. sed quid ego reges dumtaxat, quorum ingenium deliciæ deprauarint, conquiro? quasi uerò nō gentes etiam totas eadem labes infecerit. illud profectò in causa reperias, cur infames Aegiptii, apud reliquas nationes, atque olim Cyprii fue-

rint; quòd ingentes opes magna ſoli feracitate congeſtæ, omnem ab eis induſtriam, quæ comes eſt paupertatis; & luxuria ſtudium honeſtatis gloriæque remouerat. Quid? quòd affluens rerum copia tantum abeſt, ut quenquã poſſit explere, ut quotidie maiorem plus habendi ſitim excitare uideatur? atque ut alia penè infinita exempla prætercam, ſatis id nobis unus Hanno teſtetur, qui Carthaginenſis reipublicæ ſummis honoribus, domi militiæq; functus, quum ſe locupletiſſimum cerneret, regnũ cœpit affectare. commentus igitur pluſquam punicum facinus ſenatum in nuptiis filiæ ſuæ, quas uniuerſo ferè Carthaginenſi populo conuiua celebrabat, ueneno tollere inſtituit. fraudem uerò illam per miniſtros detectam eſſe animaduertens, quòd ſenatus primo ueritus hominis potentiam, ut periculum modo fugeret, lege tantum cauiſſet nequis ſumptus in nuptias fieret, ad arma confugit. atque ita ſeruorum manu, arcem occupat. pecunia, qua plurimum ualebat, undique cogit auxilia. ſed dum tardius è Mauritania regiæ copiæ, quas ſibi præſto futuras ſperabat, conueniunt, à publicæ libertatis uindicibus capitur: atque, quod peius morte ingentis ſpiritus uiro eſſe poterat, corã omni

plebe nudatus, flagris cæditur æquè ut uile mancipium. mox, membratim extrema quæq; passus supplicia, in crucem turpissime tollitur. liberis prius, & consanguineis omnibus pariter obtruncatis, ne quis forte, aut tam scelerati hominis ultor, aut domestici facinoris imitator existeret. felicissimum illum, si tantarum opum dimidio uel mediocris fuisset adiuncta prudentia. uerum, ea solet esse rerum natura, ut qui uideant plus sibi licere quàm deceat, plusquam possint facilè concupiscant. proinde, nõ quantum quisq; possideat, sed quam moderate suis bonis utatur, uel etiam si desint, quam fortiter careat, laudari consueuit: ut corporis fortunæque bona, uix bona, nisi animi ratione dicãtur. Et sanè furor est, ea ueluti prima suspicere, quæ ut minime nostra, paruis rerum momentis sæpe tollantur: sapientiam uerò in postremis collocare, quæ nulla unquam ui, nullo casu possit intercipi. quocirca, satis est, corpore uti neque imbecillo penitus, neque oblæso, quoniã profligata omnino ualitudine, ad sapientiã iter obstruitur: externa uerò, ita metiri, ut nequid eorum, quæ uitæ necessaria sunt, deesse uideatur: tantumq; in bonis habere, quantum inopiæ nomen effugiat. propterea quòd hominẽ pror

ſus egenum ciuilis conſuetudo reſpuit: & uir-
tus ipſa pullulans, adhuc ſordibus nimiæ pau-
pertatis obruitur, uel iam cõfirmata, ſi mediocri
fortuna uelut humore priuetur, aut exareſcit,
aut certè fructum ex ſe ullum ferre non poteſt.
adhibenda eſt autem omnis induſtria, ne mini-
ma quamuis in animo labecula relinquatur, ut
quum totus illuſtris, & clarus undiq; fuerit, cæ-
tera ſi qua erunt in nobis minus egregia, lumi
nis eius ſplendor occultet. Enimuero, quis ne
get litterarum cognitionem, uel ſolam eſſe, quæ
animum apprime poſſit ornare? quum enim
totum uitæ humanæ curriculum, partim otio,
partim negotio, duobus quaſi alternis ſpaciis
diſtinguatur; quumq; nonnihil omnino, ſed a-
liquid remiſſius agere otium nũcupetur, quid
obſecro, ab ingenuis, & liberaliter inſtitutis, per
otium fieri queat honeſtius, quàm ſi tũc ſe ſe to-
tos ad litterarum ſtudia conferant, quibus uide
licet animus, ita remittatur, ut non penitus elan
gueſcat, ſed uires interim colligat? nam, quid
tandem uenator, quid auceps, quid piſcator o-
tioſus, dum uoluptatẽ laſſitudine metitur, præ
ter hebetudinem quandam ruſticitatemq; con-
ſequitur? ſiquis autem alueolo & talis, exerce-
ri excitarique quodammodo putet ingenium,

is profectò mihi non minus errare uideatur, quàm si equum aliquem generosum, atque ad cursum natum, plaustro ducendo aut uehendis sarcinis exerceri mirificè iudicet. quin etiam ipsa musice, à qua nemo unquam elegans atque eruditus abhorruit, non modo non dignitatis, sed ne commoditatis quidem gratia, quæ plurimum conuenit otio, cum litterarum studiis conferatur. utpote, quum & ea quoq;, perinde ut cætera, quibus aliàs otium trahitur, amotis sodalibus, aut inutilis planè fiat, aut minus certe delectet. litteris uerò ille mirum immodum oblectetur, qui solus, uel commentando inambulet, uel in secreta quapiam testudine sedens, aliquid perlegat. denique, quoniam per otium sola quædam uoluptas quæritur; quid pulchrius, quàm musis, hoc est suauissimis poetarum lusibus, & amœnitate carminum delectari? aut etiã si cui longum aliquod otium suppetat, cœlum, maria, terras, atque in eis res hominum, & deorũ, uelle cognoscere: ac summa illa uoluptate frui, quæ de multiplici adeo uariaque doctrinarum cognitione percipitur? non utiq; magis sine litteris otium desidiæ notã euitet, quàm sine otio litterarum scientia cõparetur. Cæterum, qua in negotiis solertia eum fo-

re putemus, qui ſtatim ab ineunte ætate litteris imbutus, nō ſolum quid homines olim omnibus in terris ab ipſo rerum primordio geſſerint, ſed etiam quid ab unoquoque fieri cum dignitate poſſit, intelligat? nemo autem non uidet poetas, uerſibus iuxta, ut pictores coloribus, humana negotia imitari; & quid in eis fugere aut ſequi deceat, palam oſtendere. hiſtoriarum uero ſcriptores, ex iis quæ quiſque in uita rectè, aut ſecus fecerit inſignia magis, & digna memoria recenſere. quādo è nominibus eorum, alterum à fingendo quæ fieri ſoleant, alterum à narrando quæ aliàs facta ſint, conſtet eſſe deductum. atqui totúm illud, quod negotii appellatione comprehenditur, aut priuatum eſt, aut publicum. priuatim, ſe quiſq; tantum, uel familiam etiam curat. utrunque autem poetæ, ut ſumma cum laude fiat, ſiquis eorum figmenta parumper animaduertat, docere facilè queunt. nanque ut ab Homero initium faciam, qui tot annos iam, doctorum omnium conſenſu, uatum princeps habetur, quicunque natus in ciuitate aliqua celebri, genere nobilis, fortuna diues, & animo præſenti, & corpore bene compacto eſt, is certe nullo exemplo ſe melius formare atque inſtituere poteſt, quàm ſi

Ilias humani ingenii miraculum.

magnam iliada, humani ingenii miraculũ, diu noctuq; relegens, ut magnus Alexander facere ſolebat, Achillem, in quo omnia præclara fuiſſe canit poëta, ſibi ad imitandum proponat, atque ab eo diſcat uelle mori potius millies, quã ut quicquam ſe indignum faciat, aut ulla in re officio deeſſe uideatur. Quod, ſi quis parum, aut nihil, in bonis, præter ingeniũ ſe habere cognoſcit, ille ſibi Vlyſsẽ ante oculos ſtatuat, quattuor, & uiginti uoluminibus à diuino uate celebratum, qui natus Ithacæ, loco ſatis ignobili, parentibus non admodum claris, quum & opibus, & ſui corporis robore uix mediocritatẽ attingeret, atque etiam deorum aliquot haberet infenſos, difficultates tamen omnes uirtute reſcidit: tantumque ſapientia potuit, ut non modo apud ſuos rerum geſtarum gloria nobiliſſimum quenque ſuperaret, ſed etiam in ultimos terrarum fines, nominis ſui famã produceret. Domus uerò, & familiæ gubernandæ modum, quanquam nihil inter poetas reperitur, quod non ſit ab Homero profectum, comici tamen & tragici planius docẽt, quatenus illud ex profeſſo agunt, ut generis, ætatis, ordinis cuiuſque hominum mores, populo indicent. etenim, paterfamilias ille, qui unus è multis ſit, à comicis

docetur uxorem primum suis moribus paulatim assuefacere, liberosque in ea disciplina continere: quum aliquid ipsis propter ætatem indulserit, non tamen omnia permittat, ne si deliciis diffluere cœperint, ad uirtutem, quæ laboribus, & sudore paranda est, aspirare non possint. seruos deinde cauere, ne quid fraudibus, aut morum impuritate officiant. lenonum, meretricum, parasitorum, insidias fugere, atque à suis propulsare. æqualium amicitias colere. posteritati prospicere, ac parsimoniam ubique seruare, sub persona uidelicet Strepsiadæ, Philtonis, Menedemi, Chremetis, & aliorũ item, quorum in fabulis ficta sunt nomina.

Rursus ille, qui cæteris præsit, a` tragicis admonetur, ante omnia firmissimum regni præsidium esse, non cuiquam nimium credere, ut Polynices Eteocli; propterea quo`d eius causa, ius omne misceri frangique soleat. multum blandientes potius quàm iratos caueri oportere; quo`d ab iis sæpius rex opprimatur, quos minime timet, ut à fratre in cõuiuio Thyestes, & in cubiculo Agamemnõ à coniuge. non esse tutũ principi, calumniatoribus aures facile` adhibere, ut Phædræ Theseus, quoniã temere persuasos illico pœnitẽtia cõsequatur. postremo`

neminem, qui malis artibus nitatur, diu poſſe regnare, ut Creon, Lycus, Aegiſthus, & alii Pelopidæ omnes atq; labdacidæ, quorum familiæ, tot clariſſimis tragœdiarum ſcriptoribus materiam præbuerunt. unde manifeſto appareat, iuſta imperãdo, partis acquieſcẽdo, nullum mortalem iniuria laceſſendo, bonam exiſtimationẽ ſuæ liberorumq́; aut affinium libidini anteponẽdo, poſſe ad poſteros imperia peruenire. Nihil igitur priuatim à quoquam fieri ſolet, quod non optime litterarum ſtudiis excolatur. quæcunque autem publico nomine fiunt, ea bifariam diſtributa, uel pacis uel belli temporibus accommodantur. at pacatis in ciuitatibus ſemper eloquentia plurimum ualuit. nec ferè aliud fuiſſe reperias, cur homines à primo agreſtes, & ingenio diſpari ac diuerſo, in unũ quaſi corpus coiuerint: & eorũ ferociſſimus quiſque legibus parere uoluerit, quàm quòd aliquis inter ipſos extitit, qui quod prudẽter excogitaſſet, id etiam apte ſciret expromere. hac una certe fieri uidemus, ut, inter ciues, ius ſuũ quiſque retineat; ſimulq́; pietas, religio, fides, & quicquid præterea utile ſit atq; honeſtum, cum reipublicæ dignitate ſeruetur. nempe, ut legibus ciuitas ſuis quaſi fundamentis innititur, ita le-

ges eloquentiæ adminiculo ſuſtentantur. quis autem ulla de re ornate ac copioſe diſſerere, id quod eloquentia dicitur, ſine litteris poteſt? nã ſi facultas hæc, ut in controuerſiam uenit, natura, & acumine ingenii conſtare uideatur, nemo inficias ibit eius aciem ad tantam rerum uarietatem, de quibus ſæpe dicendum ſit, penetrare non poſſe, quin retuſa plerunque hebeſceret, niſi multiplici doctrinarum cognitione idẽtidem ceu cote quadam excitaretur. ſi arte, iam ſibi totam litteræ uendicabunt. ſi exercitatione, haud equidem intelligo qua ratione fiat, ut ſe ulla in re quiſquam exerceat, quin eam multo ante didicerit. diſci autẽ quæ litteris continentur, ſine litterarum ſcientia qui poſſunt? atq; ut hoc altius exploremus, inuenire quid unaquaque in re dici debeat, ille profectò nequit, qui multa non nouit; & ea præſertim quæ in communem hominum cognitionẽ perueniunt, humanitatis ſtudiorum appellationem inde ſortita. affectus item mouere, quo uel uno plurimum eloquentia dominatur, is utique neſcit, qui nec apud poetas, quibus homines afficiantur, nec quibus olim affecti ſint ex hiſtoria didicit. dictione uerò, quæ res oratoribus, & græce, & latine nomen impoſuit, eorumq; magnã

differentiam facit, tantum alius alio præstat, quanto frequentius quæ ab antiquis accurate scripta sunt, relegit atque ediscit: ut Demosthenes libros Thucydidis, quibus ad eam ætatem nihil scriptum cultius fuerat, etiam sæpe descripsit. quemadmodum enim manus ærugine numos tractãdo inficitur, sic diligẽter scripta legendo, quędam eorum uelut colorem ducit oratio. Verum enim, ut in pacis tranquillitate plurimum uiget eloquentia, ita quum belli quasi tempestas intonuit, in iis, qui rebus agendis præsunt, militaresq; copias ducunt, prudentia summa requiritur. non enim ab re, homines quidam ridiculi, sapientes tamen dixerunt, duo esse animalia, quæ multum capite pugnarent, taurum, & hominem, sed alterum cornibus, alterum consiliis atque prudentia. & certe par est, ut quo bestiis dominari, & præesse cunctis animantibus homines possunt, eo ipso etiam inter se contendant. ingenium uero id est. quia nihil formidabile in uno propemodum homine reperitur: non dens, non unguis, præter animi uim atque consilium, quo scilicet machinationes omnes, arma omnia protulit. at, quemadmodum senex iuuene prudentior habetur, ea de ea causa, quoniam per plures annos quæ fierent

Duo esse animalia, que multum capite pugnarent.

rent

rent,uidit; ita etiam fatendum eſt, prudétiſſimũ illum fore, qui nõ ætatis ſuæ modo, ſed et præteritarũ quoq; geſta cognouerit. porrò, quid aliud agunt hiſtoriæ, quàm, ut exẽpla rerum ab omni temporis longinquitate repetita, uno propè intuitu, ſub legentis oculos ponãt? ac, ut rem particulatim conſideremus, ſi cui forte, quod ſæpenumero accidit, ſuorum fides erit ſuſpecta, nil proderit, opinor, legiſſe qua dexteritate inter alios Diodorus Amphipoli Thracas emiſerit. itẽq; ſi miles ad prælium fuerit incitandus, uſui credo non erit, ſcire quo artificio Ageſilaus ad Orchomenũ, aut Archidamus in Arcadia, ſuis pugnãdi ſtudiũ iniecerit. immo uerò etiam ſi pugnæ tẽpus captabitur, non ignarus litterarum imperator faciet, ut Lyſander ad Heleſpõtum. ſi locus, ut Xanthippus in Africa. ubi aciẽ inſtruet, mille modis peritiſſimos rei militaris Lacedæmonios imitabitur. quum inſidiis pugnare malet, Timotheũ, & Iphicratem ſequetur, uel etiã, ſi Pœnum dignabitur, Hannibalẽ. uictor effugiũ hoſti dabit, ne deſperatio pariat audaciã, ut Xerxi Themiſtocles. uictus quãdoq; hoſtẽ fruſtrabitur, ut in Hiſpania Romanos diſperſo exercitu Viriatus atq; Sertorius. quòd ſi ad oppidũ aliquod expugnandũ accedet, quæ res ob dif-

ficultatem, summum inter bellicas artes obtinet gradum, uel deceptis propugnatoribus, ut Aristippus Tegeam: uel cito ad inopiam redactis, ut Alexander Leucadiam: uel aquis auersis, & medicaméto infectis, ut Clisthenes Triteam: uel educto præsidio, ut Pyrrhus Illiriorum metropolim: uel ab diuersa parte oppresso, ut Alcibiades Cizicum: & Trasybulus Sicenum: uel recessu callide simulato, ut Epaminundas Mantineā: & Phormio, Chalcidem: atq; alii alia capiet. è contrario, si obsidiōe laborabit, ne quid tale sibi eueniat, cum his, tum aliis sexcentis id genus clarissimorū imperatorum exemplis cauebit. deniq; illud in summa tot historiarum uoluminibus colliget, ut intelligat uicissitudinem esse rebus in omnibus, atq; ideo nec secundis nimiū tollatur, nec omnino frangatur aduersis; ac esse in humanis, uim quandam rerum naturæ inuolucris absconditam, cuius arbitrio cuncta regantur, siue fatum dicere oporteat, siue fortunam: uariam adeo ac periculosam, ut se illi nunquam, nisi aut magna inuitatus occasione, aut coactus necessitate, committat; non etiam si militum numero sit lōge superior. propterea quòd, aciem quamuis imparem, spes & metus, & strictum utrinq; ferrum exæquet. Quam ob rem,

si quæ animi sunt, in nobis excellunt; atq; animus ad uirtutem, & officium ubiq; seruandum, litteris ualde componitur; consequens est, nihil debere studiis litterarum à tenera ætate præuerti. nam, quòd Homerus sapientem sine litteris Nestorē ponit, nihil certe me mouet, quum etiā poeta id nequaquam facere ausus sit sine portentosa quadam senectute, quæ uelut instar multarum historiarum in se cōtineret. at, qui, ut fuerit aliquis olim, qui naturæ beneficio, & longo eorum usu multa didicerit, non tamen iccirco idem sperare omnibus licet, quemadmodum nec pontes, qui communis hominum usus gratia ruri fiunt, decet rescindere, quoniam nonnulli reperiantur, qui fossam, aut riuulum saltu facilè superent. profectò si quispiam contemptis litteris, hoc est iis, quæ ueteres, alius post alium inuenerunt, uni duntaxat experientiæ studeat, perinde erit ac si quis æger neglectis medicorum potionibus, ignotæ alicuius herbæ uim experiri sui capitis periculo uelit: aut si quis gubernator descriptas ab antiquis littorum formas domi relinquens portu egrediatur, & quasi Tiphys ipse nouus, uentis uela permittat. næ ut alter facilè moriatur, & alter cito impingat ad scopulum, sic & priuatim sæpe labatur, & publice multa faciat naufragia, quisquis expers

litterarum extiterit. quæret aliquis fortaſſe, cur ſi tantopere omnibus litteræ conducunt, paucos adeo præ cæteris, ſui ſtudioſos inueniunt? quia non omnes idoneos natura procreauit: ne deeſſent, qui ſeruilia munera, & uitæ neceſſarias artes tractarent. multi etiam ingenio liberali dum ætas in lubrico eſt, fido carent admonitore. quidam prius aliud caſu facere coguntur quàm quid ſit illud intelligant. nonnullos praua conſuetudo, aut mos patrius ad alia ſtudia maiorum ſuorum imitatione compellit. et ferè omnia quanto præſtantiora uidentur eſſe magiſque pulchra, tanto pauciores ad ſui cognitionem admittunt, nedum litteræ cuilibet expoſitæ ſint ac peruiæ, quibus homines proxime ad deorum immortalium conditionem accedunt. Venio nunc eò, ut probem litteras ſine græcæ linguæ ſcientia, non magis perfectionem ſuam aſſequi poſſe, quàm ſine litteris hominem. qua in parte, ad excurſum orationis, tam longè lateque patere omnia uideo, ut breui hoc temporis ſpatio difficilius arbitrer admiſſo uelut equo habenas inhibere, ac finem dicendi facere, quàm ullas difficultates, aut impedimenta ulla ſuperare. ne igitur uos diu hic nimia prolixitate fatigatos, detineam, unum

Litterarum
Graecarum
laus.



aliquod duntaxat è multis argumentum arripiam. mitto itaque græcæ linguæ nobilitatem, quam olim patria dignitas, pro imperii amplitudine, toto terrarum orbe propagauit, adeo, ut eam ne Britannia quidem ultima ignoraret, quando & Druidas è Gallia in Britanniam ut suæ disciplinæ originē perdiscerent, solitos fuisse proficisci Caius Cæsar testatur, qui tametsi eam, ne inuulgaretur, nefas scribere putabant, usum tamen alioqui græcarum litterarum ubique retinebant. mitto antiquitatem, ab heroicis usque temporibus profectam. mitto uarietatem, multitudinemq́; uerborum, humanæ uoci maxime congruam. mitto scripturæ diligentiam, qua sibi commissa possit in omne æuum incorrupta seruare, quoniam satis à me, ut puto, est alias in hac causa peroratum. necessariam uerò eius cognitionem in primis esse contēdo. id autem quàm breuiter expediam, quæso attendite. Constat hominem ad agendum aliquid, à natura produci. probatumq́; satis est, auxilio litterarum omnia posse agi quàm optimè. sed uideamus parumper, quodnam genus litterarum ad res gerendas maxime faciat, ut si græca id lingua indigere uidebitur, eam quoque necessariam esse omnibus pateat.

Tres litteratorum hominum ordines, hac tēpestate reperio. unum philosophorum, seu potius dialecticorū, non quòd Clinomachū sectētur, sed quia de humanis ac diuinis omnibus inter se disputent: alterum iurisperitorum: tertiū eorum qui humanitatis studia colunt. ac unumquēq; ex eis, nescio quid sibi proprium ipso statim nomine præ se ferre animaduerto. philosophos, rerū à uulgi sensu remotarum insitionem; iurisperitos, æqui boniq; notitiam; humanitatis autē studiosos, nihil nisi cognitionem eorum quæ oēs intelligant, & ab omnibus passim fieri soleant. unde nego quenquā ullis litteris, in negotiorum, & præsertim publicorū administratione, multum iuuari, præterquam politioribus his, quæ appellantur humanæ: quibus eloquentia pariter, & prudentia cōparatur. Haud equidem uereor, ne propterea quòd in hūc sermonē incidimus, philosophus aliquis, aut iurecōsultus offendatur, quoniā sua quemq; ita profiteri existimo, ut prioribus studiis nūtium nullo pacto remiserit. quòd si quis tamē eo animo agit, ut quæ prima didicerit, ingratus oppugnare nō dubitet, ille idem profectò, ut nihil amplius ipse respondeā, si quæ pauloante à me dicta sunt diligenter considerabit (modo sit æquus rerum

æstimator) fatebitur litteras omnes, præter eas quæ humanitatis uocantur, ad otiũ factas: prorsus ab omnibus, & præcipue publicis, quæ maxima sunt, abhorrere negotiis. At multi, sine cultioribus istis litteris eloquentes simul, & prudétes habẽtur: contra etiam multi, qui eas sectantur, rudes atq; inepti apparẽt. primũ quos tu ab humanis studiis alienos putas, quòd alia profiteantur, ab eis ego non separo, licet ipsis aliquanto remissius operam dare intelligam: neq; enim ego, uel unum ex omnibus his, qui adsunt, à politiori litteratura omnino auersum reperiri posse confidam. quòd si quem forte aliter animatum nihiloq; secius tamen eloquentem, aut prudentem ostenderis, id certe non aliunde, quàm ex ingenio, & excellenti eius natura prouenire facilè demonstrabo. deinde, quos tu rudes ac ineptos argues, ego etiam illiteratos dicã. propterea quod, nemo sine ingenio singulari, bonas litteras discere, nedũ eis uti, ualeat. atq; ita quicquid peccauerint, id totũ naturæ ascribã, doceboque istuc non esse facultatem facultati, sed hominẽ homini cõparare. nolo nãq; stupidum aliquem, qui ob desperationem ulterius euadẽdi circa studiorum prima substiterit, cũ diuersæ professionis uiro, natura etiã mediocri cõferas; sed duos uelim præstantes ingenio eligas, quo-

rum alter politiores litteras alter quascunque alias tantum nouerit. iam sese ii non aliter in negotiis, et praesertim publicis habebunt, quam duo strenui milites in pugna; quorum alter armatus, alter uero nudo corpore praelium ineat. Dixerit fortasse quispiam, tu igitur alias litteras negligis? tantum abest, ut ego id faciam, ut uariis ipse disciplinarum studiis mancipatus, longa etiam oratione alias disputarim, non posse quequam cum dignitate hoc in loco sine multiplici doctrinarum cognitione consistere: quod quidem uel ipsa poetarum interpretatio indicat. neque propterea tamen eos laudo, qui sese totos alicui scientiae dediderunt. quippe, quum eo, si nihil aliud, animi certe imbecillitas quaedam declaretur. Restat, ut humanitatis studia, sine graecis litteris manca esse ostendam: quanquam hoc dubium facere, multo maioris est uanitatis, quam Empedoclem adhuc uiuere suspicari ex eo, quod eius cadauer nusquam apparuit. et sane, siquis hoc prorsus ignorat, is iam plane similis haberi potest, homini illi, qui quum in coetu sodalium, ut fieri solet, uicinum sermonis causa narrantem audiuisset insigne illud naufragium, quod mille graecorum naues, euerso Ilio ad capharea saxa fecerunt, statim ingemuit; ac pene lacrymas tenere non potuit. cui alter, quid

Enciclopedia

te bone uir ista perturbant, quasi uerò nudius tertius, aut proximis calen. acciderint? an, id ætatis nunquam aliàs audiuisti mille amplius annos esse quum hæc facta dicantur? nimirum pauca legit, & pauciora etiam audiuit, qui nescit adhuc, politiorem litteraturam perpetuis in tenebris uersari, nisi græca lingua ei lumen accendat. nanque, ut mathematicos ac physicos, qui sensum modo cogitatione intuentur, uerba non curant, sine litteris græcis aliquid esse concedam, fieri nullo pacto potest, ut qui uerborum uim, naturamq; perpendunt, si ne græcis, unde latina ducantur, quicquam in litteris esse confitear. et certe, quum ad poetas respicio, nihil usquam non græcum occurrit. quid enim aliud Vergilium facere dixerim, quàm Homeri, Hesiodi, Theocriti poëmata latinis uerbis exprimere? quid Plautum? nonne ipsemet fatetur se Diphili, & aliorum fabulas uertere; aliquot etiam integris uersibus græce descriptis. prætereo autem rhetoras, & grammaticæ artis magistros, quorum scripta, siquis non græce doctus intelliget, Oedipum hercle, aut Tiresiã diuinandi arte superabit. sed quid ego in re adeo nota, pluribus immorer? quando maximi quique latinitatis auctores, non aliter se operibus

ſuis auctoritatem daturos putarint quàm ſi græca transferent. At aiunt nonnulli, nobis iã quæ latina ſunt facta, ſufficiunt. id profectò illis ob ignauiam perinde uſu uenit, ac ſiquis de altero ſciſcitari malit, quæ in ſpectaculis facta ſint, quàm ipſe ſpectare. nequam ſit homo neceſſe eſt, qui ſibi ceu poculum indidem miſcere nõ curat, unde maiores ſuos, tantum laudis & gloriæ hauſiſſe, atque aliis quaſi propinaſſe cognoſcit. Adde, quòd infinita propemodum reliqua fient ſcitu digniſſima, quibus ſemetipſe fraudabit, qui græce aliquid ſcire noluerit. Quare, quũ minime deceat, totã ætaté in otio terere, ac litteræ humanitatis, hoc eſt eloquentiæ ſimul & prudentiæ altrices, quæ duo præcipue hominé à cæteris animantibus ſegregant, ad res præclare gerendas, unicum uelut inſtrumentum habeãtur, atque eæ ſine græca lingua debiles admodum, & alta quadam erroris caligine uacillantes, nullum in ſe momentum retineant, fateri neceſſe eſt, litterati hominis appellatiõe abuti quicunque nihil omnino græce didicerit. Obiiciat aliquis fortaſſe, tu te ipſum quaſi tuis acuminibus compũgis, quòd et perpetuum otium damnas, & unà tamen immenſam quãdam litterarum molem, ad græce & latine diſcendum

traductiones

hominis uſcipiendam proponis. facio primum, ne ſim adeo iniquus ut nonnulli, qui ſuos greges, ut in ſui admiratione detineāt, anguſtis quibuſdam uelut cācellis circumſcribunt, dū quæ ipſi ſola conſequi potuerunt, ea duntaxat protinus ab incunabulis arripi debere contendunt: quaſi uero animus noſter cella ſit aliqua, ubi non niſi certus frumenti, aut uini numerus reponatur. deinde, quod multos potuiſſe uideo, ac me ipſum conari profiteor, id aliis etiā ſuadere non pudet. quid enim quæſo? num Ciceroni, ut unum pro multis nominē, difficillima temporibus illis tot inter ſimultates reipub. adminiſtratio ac negotiorum familiarium multitudo, quicquam de litterarum ſumma detraxit, quominus græco ſermone hiſtoriā ſcribere, ac græca uertendo, atq; imitādo, latinæ linguæ ceu fabricator exiſteret? an nō etiā noſtra tempeſtate, DANIEL RHAINERIVS uir iam, & propter ætatem, & quod ampliſſimis honoribus functus ſit, ſupra inuidiā poſitus; atq; iccirco à me unus omnium qui hodie uiuant, honoris cauſa nominatus, exactiſſimā græcæ linguæ cognitionē cū cæteris ſtudiis cōiungere potuit. quod uidelicet ad rēpub. ubi opus eſſet, accederet, ac priuatim æque, ut alii uariis negotiis diſtringeretur?

non est mihi crede nimium difficilis atque ardua res, multa condiscere; siquis studendo non lucrum quærere, sed sapientiam ipsam inuestigare instituat: nec propterea unum modo uitæ suæ lustrum ad discēdum, reliquum uerò ad nihil sciendum accommodet, sed paulatim per gradus, adolescētiam omnem erudiat. ac, ut de græcis tantum litteris loquar, quid obsecro negotii est, hominē haud latine ignarum, ad similitudinem eorum quæ antea nouit, græce doceri? modo ne careat præceptore, qui & uocum proprietatem, & usus ipsarum rationē monstrare possit, & uelit. At nō desunt qui rei magnitudine deterriti, ab incœpto destiterint: ii mediusfidius non multum dissimiles atque ægroti cōplures uidentur, qui, quoniam cibo ac potu abstinere ob intemperantiam nequeunt, dum medicos fastidiendo subinde alios aliis mutant, in morbos incurabiles incidunt. putant enim nōnulli, se posse grammaticos illos canonas alterius diligentia potius quàm sua doceri: quum ii quidem triduo ferè ostendi queāt, memoriæ uerò mandari, citius tardius ue prout quisque, uel ingenio, uel industria ualeat. qua in re, etiam sibimet ipsi iniurii sunt, quod tædio perplexæ illius flectendarum orationis partium formulæ

Lingua

nihil uoluptatis admiſcent, hoc eſt uocabulorũ notitiam, quæ ignotæ artis rudimenta ſcrutan-tes, mirum immodum iuuat, in aliud tempus re-iiciunt. neque interim minus erroris admittunt, quàm ſi domum ſtructuri de opificio tantum co gitent, cæmenta uerò ac materiam nihili faciant. atqui uidemus tranſalpinas, atq; etiam tranſma rinas nationes breui admodum Italicè diſcere, nullo artificio magis quàm quòd uocabulorum quendam ueluti faſcem, hinc illinc quotidie col ligant. unde planum fit, utile cum primis eſſe ad græcæ linguæ peritiam latinæ iungendam, au-diendis auctoribus, paulatim uerborum ſignifi-cationes ediſcere, ubi quis primum, ſi minus me moria teneat, at certe uiderit ſemel, quænam, & qualia ſint græcæ locutionis membra, unum ali quod ex infinitis propemodum grammatices compendium eligens, ac ſi me audiet, quod fa-cillime poſſit intelligi. quemadmodum pleri-que teſtantur, quos ego in hac urbe à primis ſta tim litteris ultra id quod publicè debeam, do-mi gratis edocui. Quæ quum ita ſint, ne pu tetis me hanc ſermonis contentionem ambitio-ni dare uoluiſſe, quòd ſcilicet quenquam, uel renuentem in hunc locum attrahere, uel inui-tum in eo retinere deſiderem. quando, deum

uirtute dixerim, pateat, iam me ſatis docere poſ ſe qui uelint, nec deeſſe quos doceam. ſed potius exiſtimetis me, tum ueritatis ipſius ui, tum miro quodam ciuitatis iſtius amore cõpulſum, ea liberè dixiſſe, quæ publicè profutura cognoſcerem: atque operam date, ne maiori cum ſollicitudine curaq;, uidear ego alienæ dignitati proſpicere, quàm uos ueſtræ laudi, gloriæq; conſulere. ne ue aſſenſu tantum & nutu, in meã ſententiam concedere uelitis, id quod hactenus benigne adeo atque attente audiendo ſignificaſtis, ſed etiam re ipſa, & facto, eam in poſterum approbetis. Dixi.

M D X X I

Menſe Octobri.

VICTORIS FAVSTI ORATIO IN FVNERE FRANCISCI RVBRII ORATORIS REGII.



ELLEM, si fieri posset, illustrissime princeps, clarissimi ac ornatissimi patres, ut, quantum mihi ad dicendum studii, quantumq; uoluntatis ad ea præstanda, quæ de me hodie tanta funeris celebritate requiri sentio, tum amplissimi consessus uestri maiestas, tum coronæ istius, quam attente adeo ad audiédum stare uidetis, frequentia dignitasq; iniecit, tantum etiam facultatis in præsentia suppeteret, aut certe alicunde meæ tenuitati adiungeretur. sed quoniam usu uenit plerunque, ut nõ continuo, quantum quisque contendat, tantũ etiam possit: reliquum omnino, atq; item par esse arbitror, ut, sicubi fortasse parum ego tantæ concioni sufficere uidebor, non nihil tamen adiumenti à uobis, ac uestra bonitate, uestraq; humanitate recipiam: atque ita uos, qui muneri huic ad honestissimos semper homines deferri solito, me parem esse censuistis, uestram de me

opinioné,ueſtrumq́; iudicium, interim benignè audiendo approbetis. quum enim, & Franciſci Rubrii oratoris regii conditionem, quem à me hodierno die, more maiorum, laudari uoluiſtis; & loci huius, in quem aſcendi, grauitatem intueor, id genus omnia mihi undique occurrunt, meosq́; ante oculos obuerſantur, ut non dubitem, quin non modo non ingenii mei paruitas, & exilis admodum ac imbecilla oratio, magnitudini eorum ſatisfacere queat, pareſque oneri uires afferre, ſed nec uberrima quãuis eloquentiſſimorum hominum dicendi copia, ſine aliqua prudentiſſimarum atq; adeo elegantiſſimarum, quæ ueſtræ ſunt, aurium offenſione, ſingula percenſere numerando, nedum quicquam exornare dicendo, poſſe uideatur. Et certe, omnia quæ huic ampliſſimo uiro natura, aut fortuna, ad ornamentum ac dignitatem commodumq; aliquod largita eſt, eadem mihi ad dicendum maximas difficultates hodie afferunt. nam, ſi uel patriam duntaxat reſpicio; eam omnium penè chriſtiani nominis nobiliſſimam uideo. ſi genus; id cum paucis illluſtre atque egregium enitet. ſi uitæ inſtitutum, & quæ hominis propria ſunt, conſidero: tam longè lateque uirtutum eius amplitudinem patere intelligo,

ligo, ut propè ad ultimos illos humanæ sortis fines pertinere facile iudicem. præterea, quæ in eo suprema fortunæ benignitas apparuit, ut nulla diuturnioris morbi ui, ac uelut longioris ægrotationis obsidione quadam uictus, sed repente propemodum improuiso pene incursu oppressus, obierit; ut multos illi dolores spacii breuitate detraxit, ita mihi omnem ferè, quantum in ea fuit, ad commentandum industriam abstulit, diligentiamq; temporis angustiis interceptam seclusit. quare, feci quod in repentinis præliis imperatores facere consueuerunt, ubi hostes aut ex insidiis erumpunt, aut à tergo, lateribusue inexpectati celeriter aduolãt. ii enim, tametsi omnem ex occasione aciem instruunt, suos tamẽ protinus quàm angustissime possunt, in unum cogunt. ita ego, statim, cum primo huius obitus nuntio iussuq; uestro me in breuem quendam uelut orbem collegi, orationemque meam in pauca conieci; unde, quoniam postea signum ueluti quoddã huc adeundi iam iam expectanti mihi locum, ut ita dicam, aut ordines mutare non licuit: iisdem, quibus ab initio constiteram, ceu uestigiis insistens, satis esse hodie arbitrabor, quædam quasi capita maximarum huius uiri laudum attingere: quum etiam

interim minutissima quæque persequi, in quibus tamen nonnunquam uirtus ipsa & officium emicat, hominis alienigenæ conditio, nobis fama tantum nota, prohibeat. et quia, ut nemo ignorat, non parui admodum refert, quo quisque loco sit natus; propterea quòd primo lucis intuitu, primoq; illo haustu spiritus de suo cœlo uirtutum semina quædã contrahere, simulq; ad laudis & gloriæ studium celebritate maiorũ ac fama quilibet excitari uidetur: à patriæ nobilitate commemorãda initium faciam. At, quãquam situ ac feracitate, & iis omnibus, quæ regionum optimarum propria sunt, Gallia nulli terrarum cædit: eius tamen maximum decus atque ornamentum in uiris, quos omni fermè uirtutum genere præditos procreet, positum esse animaduerto. neque enim proceræ ac directæ in quincuncem arbores, uiridariaque, & amœni fontes, atque umbracula, aut molibus exclusum mare, flumina pontibus iuncta, turresq; ac mœnia ipsa magnificentissime constructa, urbes potius uidentur ornare, quàm hominum fortitudo, ac probitas. quippe, ut aues cõditionis & naturæ suæ argumentum nidificandi opificio præbent: ita etiam in oppidis ac regionibus amplissima quæque ædificia nihil ni-

ſi hominum præſtantiam indicant. mitto au-
tem primos Galliarum colonos pariter atq; in-
digenas, multo ante rem romanam magnitudi-
ne imperii nobiles, & quæ infiniti propemodũ
rerum ſcriptores de geſtis eorum per uarias tem
porum ſucceſſiones memoriæ prodiderunt. de
iis tantum loquar, quæ noſtra potiſſimum ætate
uigeant, & quæ peragrata ſuperioribus annis
maiori ex parte Gallia, poſſum etiam ipſe teſta-
ri. ac ut ab infimis orſus ad altiora paulatim a-
ſcendã; tanta eſt in iis terris agricolarum indu-
ſtria, tantaque opificum ſolertia, ut aduerſo
quantumuis cœlo, & anni tempeſtate iniqua,
nuſquam ferè tamen lautius uiuatur, uiliſſima-
que ſit ſemper annona: ueſtimentorum uerò ac
domeſticæ ſupellectilis copia, nullibi maior trãſ
alpes elegantiorque reperiatur. qui autem mer-
caturam exercent, atque in emporiis, & foro cõ
ſiſtunt, aut aliter negotiando uiuunt, urbanam-
que multitudinem explent, fidem ac promiſſa,
uel maximis emolumẽtis uiolare turpiſſimum
putant: atque non ſolum inter ſe, uerum etiam
cum reliquis quoque nationibus hilares, & iu-
cundi humaniſſimique ac maxime hoſpitales
exiſtunt, utpote qui more quodam patrio, non
dolis, non fraude, ſed plurimum uirtute ac re-

rum dignitate nitantur. at, honestioris ordinis hominum quum duo sint genera, qui litteris, aut etiam unà religioni colendæ uacant, sic se se totos ad ea studia conferunt, ut, quum theologiam sibi multos antehac annos ferè uniuersam Parrhisii uendicarint, nunc etiam in omni litterarum genere, tum multitudine tum excellentia hominum, & græce, & latine doctissimorũ, cum Italia bonarum semper litterarum altrice contendant. qui militiæ student, tantam in equestrem artem, quæ nobilibus digna semper, & ubique habita est, à teneris annis operã impendunt, ut grauissimam quamuis armaturam perinde tractent, ut, quicunque ipsos aspiciat, ferrum illud non extrinsecus additum, sed quasi unà cum eis natum, ut cum piscibus squãmas, aut cum auibus plumas, existimet. proindeque ob antiquam militaris disciplinæ, ac bellicæ artis gloriam, tantum spiritus concipiũt, tantumq; in præliis audent ut Gallum equitem auersum ulli unquam hostium uidere non liceat. Iam regia dignitas (quoniam ex capite reliqua etiam membra qualia sint, facilè dignoscuntur) eiusmodi est, ut, quemadmodum à Græcis olim Persarum, ita Gallorum à nobis hac tempestate per excellentiam quandam rex

possit uocari. non maiori profectò cum ueneratione alibi numina coluntur, quàm rex ille suis in terris suspicitur. nec ab re tamen, aut parua de causa. siquidem, primum tantis opibus pollet, totq; ac tanta, quibus suos aut alienos item de se bene merentes donare queat, possidet; ut facilius aliquando, qui petant, quàm quid det ipse, deficiant. deinde, tanta munificentia, liberalitateque uti consueuit, ut non solum infinita propemodum templa ornatissimis cœnobiis adiuncta, largisq; prouentibus locupletata, uerum etiam penè innumerabiles litteratorum hominum scholæ ac publica pauperũ domicilia non in Gallia modo, sed & alibi quoq;, ut Romæ, ne quid longius aut ex ignotis petatur, diui Michaelis ædes, & hospitium, quod nunc sancti spiritus uocant, in eius testimoniũ uisantur: tot etiam Gallorum regum donaria partim uoto, partim ex manubiis toto orbe terrarum, quà Christiana quandoque religio patuit, ad omnia pene delubra propendeant, totq; ab eis Christi nomine passim erogata olim fuisse constet, ut, si reuiuiscant illi, suaque repetant, periculum sit, ne multorum patrimonia soluendo esse non possint. tot præterea Christiani nominis captiui, quotannis Gallica pecunia

missis in Africam, atque item alio ad Sarracenos legatis, ex ueteri consuetudine ac instituto nunc quoq; redimantur, ut, tantam liberalitaté tantamq; magnanimitaté humanum ingenium uix capere posse uideatur: quũ plerunq; ex hostico multi Cantabri, & Lacetani, Ligures ue, aut alii, ad suos incolumes remittantur. tot insuper Gallicis in regionibus immensa propè nemora lapideis septis circundata, partim amœnissimè consita, partim omnis generis bestiarum copia referta, tot instructissimæ uillæ, difficili nõnunquam loci natura sumptibus euicta positæ, castellisq; munitæ tot urbes aut in maius restitutæ, aut etiam ad situs opportunitatem fundatæ ad omnia ferme itinerum diuerticula reperiantur, tot deniq; alia operosissima ædificia, cuiusmodi sunt inter minima latissimæ illæ scalæ ad multa millia graduum marmore importato extructæ, quæ Rhotomagi ab oppido ad phanũ usq; pulcherrimum in montis cacumine positũ pertingunt, uaria extent specie uetustatis, ut nemo non ad pascendam plebeculam, ea omnia regum beneficentia quadã potissimum instituta fuisse cognoscat. domesticam uero magnificentiã regis illius, & cohortis uniuersæ splẽdorẽ, ii certe nequeunt satis mirari, qui & alios quoq; regios ap

paratus alibi peregrinando uiderunt. plura me diusfidius ille hominum millia suis sumptibus alere solet, quàm quot ea sint, quibus nõnulli ex aliis præsint. quin etiam, quod sanè maximum est liberalitatis atq; humanitatis indiciũ, nemo unquam repertus esse dicitur, cuius fidẽ aut dili gẽtiam laborem ue sua causa susceptũ, qui quidem paulo insignior fuisset, irremuneratum rex ille reliquerit. siquis autem antiquitatis memoriam parumper animo complectatur, pauca ad modum totis litterarum monumentis inueniet, quorum dignitati Gallica arma concedant. nam, quid ego Bellouesum Mediolani fundatorem, & circumpadanæ huius regionis co loniarum auctorem, aut Brennum tantum non totius quandoque orbis terrarum domitorem commemorem? quando post Clodoueum, qui primus Christianam religionem suscepit, tot in Sarracenos terra marique Gallorum regum expeditiones legantur, ut nemini dubium fiat, quin, nisi aliquando ea natio restitisset, breui uniuersum Christianum nomen interire potuerit. unde tantus adhuc etiam ex Gallicis armis Christianæ religionis hostium mentibus terror insedit, ut, quum non multos ab hinc annos Carolus Octauus per Apuliam

Bellouesu Mediolan fundator

iter faceret, omnē Macedoniæ ſimul & Epiri at-
que item Græciæ oram defenſoribus nudatam
Turcæ reliquerint. nempe, ut alios pientiſſi-
mos reges omittam, Pipini, & Carolorum,
Martelli præcipue, ac Magni, Ludouicique in
Chriſtianam rempublicam ea ſunt merita, ut
Chriſtianiſſimi appellationem ſibi omnis poſte
ritas iure optimo uendicarit. tam autem longè
lateq; rerum ab eis geſtarum fama percrebruit,
ut cūctos ſimul chriſtianos cis mare poſitos, ho
die etiam Francos Aſia omnis atque oriens to-
tus appellet. at uerò, quantæ pietatis, quantæq;
benignitatis ac magnificentiæ fuit, legibus ca-
uere, ut ne cuiquam penitus non Chriſtiano lo
cus eſſet in Gallia; Chriſtianus autē nemo om-
nium ſeruus exiſteret? quòd ſi quis tamen aliū-
de perductus, in eius fines aliquando ueniſſet, ſta
tim illi uindiciæ ſecundum libertatem darētur?
multa quidem hac in parte prætercam neceſſe
eſt, dum non modo incredibilis penè magnitu
do eorum, dicendi facultatem obruit, ſenſumq;
interim obtundit, ſed & memoriam quoque ni
mia multitudo fruſtratur. uerum, id iam æquo
animo patiar, quòd ſcilicet omnia id genus eſſe
intelligo, ut etiam ſingula ſeorſum conſtituta,
qualibet prorſus admiratiōe maiora eſſe uidean

tur: ac proinde non aliter, quàm lumina rarius aliquanto diſpoſita, longè melius eluceſcant. quid enim, quòd, quum apud alias gentes pau corum ſiue conſilio, ſiue temeritate, aut etiam fœminæ alicuius nubentis arbitrio, alii atq; alii reges externi plerunq; ſuccedant, in Gallia ſic ſapientiſſime omnia legibus aſtricta ſunt iam inde à Pharamundo rege Francorum primo, ut idiotæ omnes ac mulierculæ etiam, quiſnam ſibi rex futurus ſit, facilè nouerint? quæ res profectò id efficit, ut primum, nullæ factiones ſtudiorum uarietate obortæ uulgi diſſidium faciant, nulla ſeditio, principum & populi conſenſum labefactare, otium ac tranquillitatem affligere, quietem conuellere, ſummumque il lud gentium omnium in bello præſidium, in pa ce ornamentum, quo uel uno multitudinis cu iuſque ſalus continetur, parendi uoluntaté poſſit auferre. deinde, quum nec uirtutis remunera torem, nec improbitatis ultorem ſibi defuturũ uideat, nemo ullum fortunæ caſum pro regia dignitate ſubire dubitet; atque item exteræ nationes, quæ aliqua prudentia ualeant, ſibiq; recte conſulant, regum eorum amicitiam, utpote perpetuo duraturam, &, quæ nulla unquá ſuc ceſſione perturbatum iri poſſit, cæteris antepo-

nant. & quanquam præsentibus magis mouemur; et, quæ adsunt, melius, cognoscere possumus: attamen quum prisca nouis ac recentibus uetera diligentius confero, Franciscum regem, qui hodie uiuit, magno uobis cum necessitudinis, & beneuolentiæ uinculo coniunctus, totius propemodum antiquitatis instar esse reperio. neque enim in eo quisquam, Caroli uires, non Claudii, aut Philippi speciem formæq; dignitatem, non Theodorici consilium, non Vgonis ingentem spiritus uim, non Ludouici magnanimitatem pietatem ue desideret. iusticiam uerò eius ac temperantiam Gallia omnis prædicat. fidé uosmet ipsi probe cognoscitis; eãque constanter adeo mutua, ut ita dicam, opera custoditis. inuictum autem robur, animique præsentiam, ac fortitudinem, &, quod extremum natura homini præsidium dedit, in periculis audaciam, non solum hostes inopinato irruentes audacter resistédo auersi atque deuicti, sed etiam feræ aliquot imperterrito quodam ipsius uigore extinctæ declarant. rursus clementiam, moderationemq;, ac benignitatem ingenii, cum alia multa, tum id potissimũ testatur, quòd superioribus annis, quum Heluetios ferocissimam gentem uno prælio debellasset, neque

quicquam amplius impedimenti reſtaret, quominus totam Italiam, ſi libuiſſet, peruaderet; tantum abfuit, ut ſe alieni cupidum oſtenderet, ut eos etiam, quorum arma in ſe haud dubie mota eſſe cernebat, blandè tamen appellare, atq; in amicitiam recipere non grauaretur. cui, ſi aſpera Chriſtianæ reipublicæ fata maiorem auctoritatem non denegaſſent; fortaſſe in præſentia de ſuo potius agro, quam de Pannoniis finibus immaniſſima illa Turcarum barbaries cogitaret. Itaq;, de Frãciſci Rubrii laudibus, ut breui multa complectar, quemadmodum loci huius, & ueſtra grauitas poſtulat, id tantum dicere ſatis eſſe cenſeo, quòd à tanto rege in conſilium iampridem aſcitus ſit, ac ſimul patriæ ſuæ, Mediolanique ſenator factus; quæ dignitas non niſi probatæ uirtutis hominibus in Gallia contingere conſueuit: deinde, quòd archiducem, ut uocant, Burgundiæ, regius magna cum auctoritate orator adierit, poſt Heluetios ad Galerate oppidum tumultuantes; mox ſummum pontificẽ; poſtremò Venetum Senatum communis fortunæ ſocium atque participem: cuius ſapientiam nullus eſt tã longinquus populus, tamq; recondita natio, quæ non miretur. nimirum, uulgaris quædã laus nõ eſt, principibus uiris placere.

quippe, raro admodum principem iterum fal-
lere quispiam potest. quandoquidem, ut uul-
go dicitur, magistratus et prouinciæ suæ admini
stratio uniuscuiusque ingenium indicat, & quæ
in priuatis alioqui diu latere potuissent, publico
statim ceu lumine illato mirificè detegit. si igi-
tur hic, tanto regi, ob integritatem præcipue fi-
demque singularem tantopere placuit; non me
hercle uideo, quid excogitari à quoquam pos
sit, hac tam ampliter summa quæque in se cō-
plexa, ornatissimi huius uiri laude præstantius.
nisi quis forte rerum adeo ignarus sit, ut putet
regem illum, qui tot hominum millibus præsit,
ignobilem aliquem dubiæq; uirtutis, cuius ui-
ta in obscuro, ad eam diem posita latuisset, tan-
ti faceret, antisque honoribus prosequi, ac tan-
to muneri obeundo, quantum oratoris est, de-
stinare uoluisse. haud equidem uereor, ne, si
uel unum hoc duntaxat dixerim, Franciscum
Rubrium, Frācisci regum omnium maximi, cō
siliorum participem atque administrum sum-
mis de rebus, ab eo, Venetias, hoc est in eam ci
uitatem, quæ sapientiæ domicilium, sedesq; pru
dentiæ semper sit habita, & cuius amicitiam is
magno sibi præsidio esse intelligeret, fuisse lega
tum, quasi Datim alterum Athenas à Dario,

Venetias Tans.

quisquam illum à me parum aut frigide lauda tum obiiciat, ac propterea longas aliquas narrationes rhetorũ pigmentis distinctas, aut quasdam quasi laudum uariis è fontibus ductarum corriuationes, in meo sermone desideret. quasi uerò numeranda potius, quàm ponderãda sint, quæ unaquaque in re dici debeãt. ut enim Athenis Phocio sententiam dicere ac concionari solebat, qui solus Demosthenis uim sua grauitate sæpius infringere potuit, ea demum optima est dicendi forma, quæ, si causa patiatur, paucis multa comprehendat: quemadmodum in numis ii preciosissimi habentur, quibus materiæ dignitas, metalliq; præstantia, non magnitudinis ratio auctoritatem conciliet; contraq; uilissimi, qui plurimum loci occupent. quo circa si nemo nõ aureum unum decem æreis anteponat, satis utique esse potest, unam, quæ maxima putetur, ex omnibus amplissimi huius uiri laudibus dicere, ac eo etiam magis, quòd uidelicet eiusmodi sit, ut nulla commendatio uirtutis alicuius, aut officii queat reperiri, quin eam ipsa, ut uera solidaq; laus apprimè contineat. quid nanque ex illa undique absoluti hominis quasi summa detrahi potest, quin, si id oratori desit, tota eius officii ratio subuertatur? princi-

optima dicendi forma.

pio enim, qui oratores ad exteras nationes mittantur, ea corporis habitudine ac forma eſſe debent, ut, ſi minus ſpecie antecellant, ſtatura'ue cæteris præſtent, at certè nihil in ſe nec diſtortum, nec debile, aut diminutum habere uideãtur: tum, quòd longinquis in regionibus ciuitatis cuiuſq; ac populi exemplar ueluti quoddã ex uno tantum eius oratore ſpectatur, ridiculique ſæpe uulgo fiunt, ac dignitatem amittunt, quos natura potius quàm caſus aliquis deformarit. contra autem, multi plurimum ſibi gratiæ ſola uenuſtate conciliant: tum, ut frigoris, & caloris uim iuxta pati, inediamq; ac ſitim tolerare, & reliqua itinerum aut nauigationum incommoda ferre ualeant. nobilitatem aliquam uel à maioribus acceptam tueantur, uel à ſe partam retineant neceſſe eſt: quoniam principes omnes, mediocriter etiam ſapientes, non ita temere ſe illis credunt, ſuaq́; arcana committũt, quos nullo ante actæ uitæ pudore impeditos ab officio atque honeſtate receſſuros facilè ſuſpicãtur. nullis uitiis, & præſertim inſignioribus, notari conuenit; ſed contra potius litteris, & bonarum ac liberalium artium: ſi fieri, poſſit, omnium cognitione ornari: partim, ne ſibimet ipſi apud ſuos auctoritatẽ tollant, fidemq; minuant,

partim, ne illis, quibus cum negotientur, odio sint, aut certè ludibrio. tanta autem ab eis dicendi facultas exigitur, ut non solum commode, quicquid uelint, eloqui possint, uerum etiã sese totos sermonemq́; suum ita componant, ut cum senioribus senes, cum iunioribus uerò interdum iuuenes, non infra suam grauitatem esse uideantur: idque perinde, ut tamen ex æquo summa eloquentia, cũ eo, quod nullis præceptis traditur, tacendi artificio, id est opportuna taciturnitate, contendat. prudentia quoq; tanta, ut nihil amori aut beneuolentiæ cuiusquam, nihil odio aut iracũdiæ tribuant, sed omnia ubiq; ad sui principis suiq; negotii utilitatem callide referant. tanta denique diligentia, tantaq́; solertia, ut æquè ac in uigilia quadã positi, cunctis, quæ accidant, subinde aures atque oculos adhibere, nihilq́; improuisum omnino, aut non diu meditatum in animo habere studeant. quæ omnia, si in hoc fuisse cumulatissima uel ex eo potest cognosci, quòd à summo rege maximis de rebus ad amplissimum senatum allegatus sit, nihil est sanè, cur ego, hac firmissima laude diffisus, ad aliàs quasi confugere uidear. Huc etiã accedit, quòd, si tanti principis maiestate, atqu istis auribus abuti uelim, dum quippiã uel otio

sum uel omnino redundans lõga nimis oratione persequar; quantum in eo erroris admittatur aut non agnoscere stulti, aut negligere furiosi esse uideatur. etenim, quid attinet in excelléti spectataq; uirtute, progressus & incrementa respicere? et, quæ iam maxima esse uideamus, unde aut quo pacto aucta sint, quærere? profectò si nunc Franciscum Francisci huius patrem, lectissimum uirum, itemq; Tangilem de Castello auunculum magnum, olim apud Armoricos, (ut uocant) magistrum, & Ruscinonis præfectũ, atque ob egregiam fidem animique robur eximium, regis sodalitate, quæ diui Michaelis dicitur, dignatum, suis laudibus ornare, ac eorum benefacta singillatim recensere instituam; atq; etiam, si, quanta cum diligentia, & omniũ spe hic, Tolosæ, aut Bononiæ, aut Ticini, aut demum Patauii utriusque iuris scientiæ operam dederit, ac propterea, quum esset iam eius peritissimus, quanta cum laude in Senatum Parrhisiensem lectus sit, uelim cõmemorare: perinde erit, ac si pulchrum aliquod pomum, ex optima primum arbore, deinde in horto quopiam egregiè culto natum, demonstrare contendam: aut si picturam aliquam singularem, nõ nisi ab excellenti artifice optimis coloribus, penicillis

item

item factam esse, coner ostendere: quum præsertim apud eos uerba faciam, qui comitatem eius, animique candorem, annum iam & amplius, quotidie perspexerint; prudentiam uerò ac dexteritatem, his temporum difficultatibus experti probarint; & denique, omnium eius uirtutum aliis testimonium præbere amplissimum queāt; ac etiam nemo ferè hac tota in urbe reperiatur, aliquo aut ingenii aut uirtutis indicio notus, qui eius bonitatem, facilitatemque testari non possit. ut enim ex præsenti rerum statu, qualia futura sint, quæ consequantur, non quilibet statim, sed prudentissimus quisque tantum rectè solet coniicere: sic, quæ antecesserint, qualia fuerint, præsentium intuitu, ipsum etiam uulgus hominum coniectura facilè colligit. quapropter, eò iam ueniam, meāq; orationem conuertam, ut uos à mœrore, quem ob amicissimi hominis mortem merito concepistis, reuocem. quanquam, tot simul sapientissimos uiros, tantæq; prudentiæ principem admonere, nec mihi sumo, nec alterius cuiusquam esse censeo. etsi enim hic uobis carissimus uel ea in primis de causa, & esse potuit, & certè fuit, quòd Francisci regis memoriam, quem tanto studio

colitis, idētidem nominis similitudine, ceu quādam imagine renouaret; dolendumq; in tam graui uulnere, nemo potest negare: uidetis tamen ipsi, mortales omnes ea lege nasci, ut fatis aliquando concedant. quæ res, ut omnibus tandem multarum ærumnarum, multarūq; miseriarum finis manifestò est, ita bonis, uirtuteque præditis, qualis hic fuit, ueræ ac perpetuo duraturæ felicitatis initium esse creditur. et quoniam nihil in humanis omni ex parte beatum reperiri posse dicatur, unaquaque in re, damna cum retrimentis ac commodis interim susceptis, compensari debere intelligitis. atque ideo, licet Franciscus Rubrius parum admodum ultra quadragesimum ætatis annū uixerit: tamen, quòd regis quasi personam sustinens, amplissimis istis exequiis, & aliis item honoribus hodie à uobis, hoc est à tot (absit dicto inuidia) regibus, cumulatissimè ornatur: reliquum eius uitæ spacium, quod quidē in incerto esset futurum, certissima tanti honoris celebritate, qui finis uitæ optimus sit, scitis esse pensandum. propterea, quum ille, apud Venetos in Armoricis, quæ ciuitates oceanum tangunt, & hodie Britonum nomine ueniunt, nobilissima ex familia,

per mille trecentos ab hinc annos tota Gallia diffusa, atque etiam in Italiam propagata, Acrimellii ortus sit; operam datis, ut itidem apud Venetos Italiæ quàm honestissime funeretur; in dubio uidelicet relicturi, utrum ille, si hæc uideat, aut aliquo sensu percipiat, Venetus Armoricus ob uitæ initium, an Italicus ob finem, tantamq; magnifici adeo funeris pompam, uelit deinceps appellari. quum enim omnes in hanc lucem non aliter ferè, quàm in theatrum histriones, breui scilicet temporis spatio ad suũ quisque actum peragendum à sapientissimo certe nescio quo uelut chorago introducamur, ac rursus etiam, citius tardiúsue, pro ut quisque suas partes peregerit, in æternum quoddam silentium educamur: ut nihil honore, qui uirtutem atque honestatem necessariò consequi solet, optabilius aut maius homini potest accidere; ita nihil prohibet, quin eam potissimum sibi patriam iure suo quilibet dicat, ubi honestissimo functus munere, plurimum honoris, plurimũq; laudis, & gloriæ sit assecutus. Pergite igitur Veneti, Venetum ornare; ac reliquum funeris ducite; uestræ charitatis, tantique istius officii testem, dum uixerit, Aegidium, defuncti ip-

ſius fratrem, illuſtrem uirum, & in Britonibus præſidem, atque item uniuerſum Galliæ regnũ perpetuò habituri, deosq; inſuper immortales, qui uos ab omnibus incommodis immunes, ut hactenus ſæpe fecerunt, pro ueſtra pietate ſeruabunt. Dixi.

HABITA IN TEMPLO

DD. IOANNIS ET PAVLI

XX OCTOBRIS

MDXXI.

VICTORIS FAVSTI ORATIO QVA VIRTVTEM ET LITTERAS PER SE EXPETI DEBERE OSTENDITVR.



LONGE' aliter mecum ipſe conſtituo uiri, quicunque adeſtis, ornatiſſimi, quum perſonæ huius, quæ mihi olim pro ſingulari ampliſſimæ iſtius ciuitatis humanitate, eximiaq; benignitate, non ordinum modo ſed & ciuium prope omniũ conſenſu impoſita eſt, partes intueor, & hoc ipſum, in tãta doctiſſimorum hominum frequentia dicere, quantis difficultatibus plenũ, quantisq; periculis obuium atque apertum ſit, animaduerto. primum enim, eius eſſe officii arbitror, qui publicum aliquod onus ſuſtineat, quique præcipue hoc tam graui, tamq; honeſto docendi munere fungatur, ante omnia id agere, ut, quemadmodum ipſe multorũ beneficio auctus atque ornatus ſit, ita etiam ubique ſuam dignitatem cum publica utilitate coniungat; atque in eo omnem operam, omnemq; induſtriam collocet, ut, quam poſſit, multis nulla aut

certè parua sui habita ratione prospiciat: nec si
id aliàs commodè fecerit in dicendo, & præser
tim eo die, quo amplissima quotannis adesse so-
leat concio, facundi potius atq; diserti nomen,
quàm beneuoli ac publicæ utilitatis studiosi opi
nionem quærat: ea uidelicet gloriæ cupiditate
adductus, quæ in una duntaxat eloquentiæ lau-
de consistat: quod quidem iis semel aut iterum
ueteri consuetudine cõmuniq; instituto permis
sum est, qui nullum antea ingenii sui periculum
fecerint; ac proinde quantum in ipsis ars disci-
plinaq;, aut exercitatio ualeat, pars maxima ciui-
tatis atq; hominum uulgus ignoret. iuuare igi-
tur ex officio reliquos semper debere cẽseo, qui
cunq; publicũ beneficium aliquãdo acceperit.
deinde, illud idem cæteris uelle prodesse multo
dissimile quiddã esse intelligo, quum largitione
quapiã siue patrocinio aliquo fit, ac quũ uerbis
atq; cõsilio. nam, siquis aut opum ui, aut potentiæ
magnitudine, ut multi passim, clarus euadat; oẽs,
atq; ii potissimum, qui ex eius amplitudine ali-
quid ad sese deducere ac deriuare posse cõfidũt,
seu quouis modo, ex eius fortuna, adiutum iri
se sperant, protinus eũ colunt, mirãtur, laudibus
ad cœlum ferunt, mortaliumq; omnium primũ
atq; excellentissimum prædicant. quòd si ét ille
interdũ benefico, ac liberali ingenio præditus

munificentiæ specimẽ aliquod edat, suisq; bonis & alios quoq; uelit impartire, iã ipsum nõ hominem iudicant, sed quasi unũ è Iouis concilio delapsum in terras numẽ, ingenti quadã ceu pietate ac religione uenerantur. rursus uerò, siquis studio atq; doctrina sapiẽtis nomẽ adeptus est, statim eũ indocti oẽs auersari, & cauere incipiunt: eorum autẽ, qui se eruditos putant, pars maior inuidiæ stimulis acti, quæ sæpenumero inter pares esse cõsueuit, odio prosequuntur. atq; dum eius laudẽ, suã cõtumeliã ducunt, famæ eius splẽdori, non aliter ac si aciẽ ipsorum præstringeret tenebras offundere conãtur. partim. n. siquid calumniæ pateat, ut nemo est undiq; absolutus, id unum in ore habent quotidie, instar muscarum, quæ, nõ nisi affectis corporum partibus inhærescunt. partim, aliũ quẽpiam laudant, non ut illũ extollant, sed ut eum deprimãt, quem oderunt, atq; ita, per iniuriã ab eo hominũ opinionẽ auertãt. nec mirum, quatenus pleriq;, ut se multi mortales nimium quãdoq; admirantur, nõ plus quẽ quã omnium quàm ipsi ualeãt, posse existimãt. nõnulli etiam quemuis alium multo minus. pleriq; autẽ quæ ipsi nequeant, ea unum aliquẽ posse, ægre admodum ferunt. profectò, quẽadmodum maiores arbores, maiorem in sole umbrã similitud similitudo

efficiunt, ita & ſpectata uirtus quo maior eſt, eo maiorem parit inuidiá. at ſi peritus ille ac prudens, qui ſapiens habeatur, non ſibi tantum ſapere uelit, uerum, quæ res interdũ putari queat omnium munerum longè precioſiſſima, & cæteros quoque commonefaciat, ac uelut ſuis bonis impartiat, iam illud ferri non poteſt, offenduntur q́; confeſtim omnes, ac taciti ſecũ obmurmurant, arrogantem hominem, importunum, qui tantum ſibi ſumat, ut reliquos præ ſe uno nihili faciat. perinde, quaſi ille haud quaquam ex bonitate id agat, ſed ex temeritate atque ſuperbia. tantum q́; abeſt, ut rem aut dicentis animum perpendant, ut quod fortaſſe aliàs nunquam didiciſſent negligant, & eum, quem alioqui, ut boni auctorem diligere, ac obſeruare deberent, protinus ex animi offenſione faſtidiát. et certè, ſicut unaquaque in re uinci durum atque acerbum eſt, ita ingenio ſuperari grauiſſimum uidetur, maxime q́; moleſtum. hæc itaque mecum ipſe reputans, cogor addubitare, utrũ ſatius ſit ex officio, quæ publice profutura cenſeam, dicere, an priuatim mihi ipſi ea tacendo conſulere. ueruntamen, nũquam ex animi ſententia pro anteactæ uitæ inſtituto committam, quin communem utilitatem, ut aliàs ſæpe feci,

meæ existimationi anteponam. quare, dum om nibus gratum facere studeam, nullius obtrecta tionem atque offensam ueritus, quædam, quæ uulgo nequaquam recte fieri arbitror, paucis exponam; daboq; operam, quid contra agendum sit docens, ut, nisi quis forte obstinata men te aliter sentire uoluerit, ea cũctis inutilia pror sus ac fugienda esse uideantur. neq; uerò istuc parum ad rem pertinere quisquam putet. siqui dem, ut ferramentis rubigo, materiæ caries, sa xisq; sua uitia tempore innascuntur, ita etiam in animis nostris multi errores, & præsertim hac tempestate inolescunt. nempe, ueteres illi qui non ita multum à suis initiis primaq; origine di stabant, tanquam opera quædam noua, nõdum tot maculas, totq; labes contrahere poterant. nos autem, qui tam longè distamus, tanto iam situ obducimur, tantaq;, ut ita dicam, rubigine adedimur, ut, nisi quæ iampridem recta ratio peperit, subinde uelimus adhibere remedia, nihil puri, nihilq; solidi amplius elucescat. solent enim omnia, lege quadam naturæ in peius ruere, ut ait poeta, & retro collapsa referri. ac ut certis spaciis nostra contineatur oratio, aliis omissis, quæ longum esset singula percensere, illud tantum remedii afferẽdi causa quæremus,

similitudo

Lex

quod utiq; mecum sæpe miratus sum, cur quum ingens hominum multitudo lucri spe, nullum laborem, nullumq; periculum fugiat, pauci admodum uirtutis, & qui uirtutem sequitur honoris ergo, ullum laborem sustinere, ullúmue periculum adire patiantur. uidemus enim penè infinitos, hinc uel media hyeme, aut in Aegyptum Syriamq;, aut in Belgium, & Britanniam mercimonii gratia cõmeare. quos uerò labores suscipiãt, dum alpes altissimis niuibus obsitas transeunt, quibúsue periculis sese exponant dum horridũ illum Ionium sinum ueteri quamuis ac malè instructo nauigio traiiciunt, is certè iudicet, qui aliquando expertus sit. cõtra autem, rarissimum quemq; uidere est, qui parumper litteris uelit incumbere, quòd scilicet reliqui prono capite legendi, aut scribendi tedium ferre diutius nequeant, nedum in armis, quod innumerabiles olim clarissimi uiri, pro patria fecerunt, uitã audeant cum laudè mutare. at hoc, si minus absurde, neutiquam tamen constanter ab eis fieri manifesto apparet. neq; enim si parum fortes sunt, & uitæ nimium cupidi, minus periculi ex uentorum impetu quàm aliũde impendet; nec si molles aut imbecilli, minimus laborum est, qui uel in itinere faciundo sentitur. itaq;, dum causam

erroris huius inueſtigo, nihil præter uoluptatis cupiditatem eſſe reperio: quæ corporis huius impotens domina, ſenſuum hebetatrix, rationis inimica, miſeros mortales falſa quadam dulcedine imbutos, ac uelut ebrios factos, ſui compotes eſſe non ſinit. ea enim opibus auctoritatem, honorem addit pecuniæ. ea, uilem hanc animi ſarcinam, nec magis induṁetum eius quàm uinculum, honeſtati & gloriæ anteponit. quãdoquidem pecuniæ copia, genus omne uoluptatis affatim ſuppetit. uitaq; hæc non niſi tanquam uoluptatis inſtrumẽtum à pleriſq; tantopere colitur, ac tanta etiam cum anxietate ſeruatur. propterea, quos ſemel uoluptas ſuis illecebris deliniuit, dum omnem eorum admirationem in ſe conuertit, nullũ in lucro periculum proſpicere, nullumq; tedium ſentire permittit, æquè, ut ſol in aduerſum ſe intuentibus, omnem proſpectum adimit, adeo, ut etiã quæ circa pedes atq; ob oculos ſint offendicula, uidere non poſſint. itẽ quos ſemel ex alta illa mẽtis ac rationis arce deiecit in imum quaſi corporis fundũ cõiectos, atq; detruſos, facile cogit nihil unquã præter ſeipſos cernere, uitæq; huius ſpaciũ cogitatiõe metiri; perinde ut, ſiquis in cauædio cõſiſtat, ubi non niſi per impluuiũ proſpicitur, ſuo ipſius ædificio ac dome-

voluptas

Cauædium

ſticis parietibus impediatur, neceſſe eſt, quo mi
nus quæ foris gerantur, uideat. enimuero, quo
niam in hanc fraudem multos imperitia conii-
cere, ac deprauata paulatim & à uero deflexa
uulgi ſtudia per ſimilitudinem attrahere cõſue
uerunt, nitendum eſt maximè, ut uoluptatis cu
piditatem, uelut malorum omnium radicem, è
pectoribus noſtris rectæ rationis acie excida-
mus. ea enim euulſa, reliquæ uitiorum fibræ,
quæ infinitæ propemodum longè lateq; perma
nant, facillime exareſcent. Ac ſanè, quum om
nĩa felicitatem illam ſuam tum demum adipi-
ſci credantur, ubi, quam ſumma ope quærunt,
perfectionem, nacta, eo in primis funguntur, eo
que potiuntur, ad quod naturæ ordo ipſa pro
duxit; nihil minus homine dignum uidetur,
quam uoluptatem, ideſt amœnitatem illã, quæ
corpori blãdiatur, & ſenſus titillet, cupere. quã-
doquidem, rerum omnium parens natura, quæ
in unoquoque animãtum præcipua eſſe uellet,
minime diſſimulauit. quippe, beſtiis corpus, ut-
pote quod in eis primas haberet, magno cum
artificio uillis ac ſetis plumáue, aut ſquammis,
pinniſq; item, & teſtis pro ſua cuiuſque condi-
tione muniuit. nec ſolum muniuit, uerum etiã
mira quadam colorum pulchritudine ac uarie-

tate ornauit. nobis autem breue corpus, debile, nudum, atque undique exarmatum tradidit. an uerò putandum est, testudinem cocleamue, aut minuta illa conchilia cariora fuisse naturæ quã homo? animal uidelicet cunctis imperaturum? nihil minus. sed ita res habet. cætera, corpus & uoluptatem fortasse. nos autem longè aliud, hoc est, uirtutem atq; honestatem colere uoluit. iccirco, ut corporis minimum, ita spiritus atq; animi plurimum tribuit; quo non solum præterita meminisse, præsentia cognoscere, uerum etiam futura præuidere, atque in omnem posteritatem partæ per uirtutem gloriæ spem porrigere possemus. persimile igitur est, hominem uoluptati seruire, ac si quis Thessalum aliquem aut Massyleũ equum, spreta eius pernicitate, arare cogat, aut molere. ferũt Charthagine adolescentem quendam senatus iudicio nimis barbarè forsitan morte mulctatum, quòd leonis catulum tenerum adhuc inter uenandũ e lustro sublatum,, ita molliter domi educandum curasset, ut omni atrocitate deposita, non solum ea faceret, quæ cicures aliæ feræ solerent, uerum etiam clitellis susceptis, onera per urbem ultro citroq; uectando, aselli uicem subiret. putarunt nimi-

rum illi non sine ingenti flagitio deprauari posse naturam, nec facile patriis legibus obtemperaturum, qui naturæ aliquando iura fregisset. age uero, sit homini etiam commune cum bestiis affici uoluptate. quanti tandem ea, uel ipsius corporis arbitrio, æstimanda est? quota enim pars corporis uoluptatem admittit præ illa, quæ est dolori obnoxia? eia, si lubet, delicatissimum aliquod pulmentum sub ala ponito: aminæi meri, aut mulsi calicem in aurem impingito. intersepta certe atque occlusa penitus uoluptati loca reperies. at contra, digito uel minime tange facem, iam intelliges nihil esse toto corpore, quod dolori non pateat. quin etiam illa ipsa, quæ sunt ad uoluptatem apta sensoria, quum eam non nisi extrinsecus accersitam atque emendicatam accipiant, immensam prorsus, & inexplicabilem in sese dolendi materiam habét, pro multitudine ac uarietate morborum. principio enim, oculi, qui leuem tantum ac uelut inanem quandam uoluptatis umbram sequuntur, suffusione, resolutione, effusiõe, quam mydriasin uocant, caligatione, inflammatione, ac mille aliis grauissimis doloribus afflictantur. aures, quarum usus tenuior etiam est in uolup-

oculorum morbi.

tate quàm luminum, præter grauem auditum, ac ſonitum illum intra ſe ipſas compreſſis foraminibus, multiplici de cauſa periculoſius multo quàm oculi laborāt. nares, plenioris cuiuſdam uoluptatis participes, ſi ſemel exulcerentur ozena, uel polypo in perpetuum ferè ſanitatem cũ ſenſu amittunt. os uero & guttur, loca iam ſolidæ uoluptatis capacia, dentium dolore acerbiſſimo, linguæ reſolutione, uuæ inflammatione, parotidibus, angina, tonſillis, & potiſſimum de ſtillatione ac grauedine cruciantur. quis autem uitia, quæ uel totum corpus inficiunt, uel ex parte totum affligunt, ac præcipue neruos, in quibus craſſa illa atq; hebes attactus uoluptas, & tangẽdi uis ipſa cõſiſtit, diei unius ſpacio numeret? qualia ſunt, quæ ſingula ſingulos olim uoluptatis patronos, diis credo auctoribus, extinxerunt. hoc eſt ſtranguria quæ Epicurum, dyſenteria quæ Polyænum, tabes quæ Neoclem, & aqua inter cutem, quæ Agathobulum abſumpſit. mitto multiplicem inſaniam, &, qui contrarius illi eſt altera ex parte, lethargum, atque alia penè infinita, quæ uel ab effectu aliquo, uel à membris, quibus inhærent, appellationem ſortita ſunt. mitto etiam, tot febrium ge-

nera, quæ ſanguinem, & corporis interna con ſumunt. mitto elephantiam, & reliqua id genus ulcera, quæ ſingulis fere ætatibus, alia atq; alia attributa, cutem, & corporis exteriora deformant. mitto denique podagram nobilem illam morborum reginam, quæ Bacchi, & Veneris, id eſt uoluptatis, filia dicitur. atqui tot iſtos dolores corpus ex ſeſe colligit. quid autem uulnera, quæ extrinſecus inferuntur, nulla penè non parte letalia? quid morſus ferarum? ac præſertim ſerpentium, aſpidis, ceraſtæ, dipſadis, chelydri? aut etiam ſcorpionis atq; phalangii? corpus itaque ſatis ipſum per ſe oſtendit, longè magis ad dolorem, quàm ad uoluptatem ſe à natura eſſe productum. et ideo etiam dolorem pati, quàm uoluptatem ſuſtinere diutius poteſt. quis enim unquam tam diu, aut edit, aut bibit, quàm diu uel ægroti ſitiunt, uel qui obſidentur, famem atq; inediam tolerant? quis tantum temporis in attrectando quæ grata putaret ſine tedio ac ſacietate conſumpſit, quantum aliquis ſub tortore durauit? profectò, nihil citius uoluptate præteruolat, non aura, nõ telum, quæ ſemper quo maior eſt, eo etiam breuior eſſe conſueuit. at, aiunt nonnulli, remanet in ani-

mo

mo iucunda quædam memoria. primum quàm inepte, quæ corporis sint, nec ipsi negare audeant, quasi angustiis eius exclusi, transferre in animum uelint, nulla indiget comprobatione. deinde totum hoc, quod certè sola constat recordatione ac specie, cur demum tantam uim habeat, ut possit pro uera ac solida uoluptate sufficere? mihi sanè uix simile uidetur odori, qué uas aliquod uetus ex uino contraxerit, aut nidori, quem ex cibariorum uapore conclusa interdum cœnacula retinent. præterea qui fieri potest, ut plus meminerit conuiuia lautissime acceptus, quàm structor aut pincerna? quorum alter fercula omnia præparet atque apponat, & alter singula discumbenti pocula misceat? sed nimirum homines ingeniosi, quia & ipsi uoluptatem labile quiddam, & caducũ esse intelligunt, eam conantur integram si possint ad diuturniorem usum memoria quasi conditam in animo collocare, sicut nonnunquam integræ auiculæ aceto ac pisciculi sale seruantur. ne multis. nihil aliud certe est uoluptatis antea perceptæ recordari, quàm potare aut amare in somnis. uerum, ut sit aliquid ista memoria, nonne plus mali secum affert quàm boni? quando præteritæ uoluptatis recordatione identidem accenditur noua

cupiditas, quæ quoniã uoluptas omnis plerunque uariis difficultatibus impeditur, dum personæ alicuius loci, temporis, aut ſumptus copia nõ adeſt, plus angit deſiderando quàm in fruendo delectet. hinc Cyrenaicæ ſectæ philoſophi, quanquam aliàs parum graues, prudenter tamẽ ac uerecunde omni lumine amoto ueneri operam dabant, ne uoluptatis eius ſpecies oculis concepta ipſos ſæpius ad appetendum impelleret. adde quòd nemo eſt adeo rudis quin ſibi uoluptatis uſum minui poſſe in horas, & omnino propediem negatum iri ætate cognoſcat. quid ergo aliud agit longum iſtud uoluptatis meminiſſe, quàm ut mentem atque animi ſenſum continua quadam mœroris amaritudine inſpergat? & eos ſubinde miſeros faciat, ad quos nondum calamitas ulla peruenerit? at ſatis magna uoluptas eſt non dolere. quid ais? non hercle intelligo quam ob rem ſi nõ doleas ſtatim in magna uoluptate uerſeris. an quia malo carere te uides? at iſtuc præterquam quòd raro contingit, neque ob noſtram imbecillitatem diu ualet conſiſtere: ſeruilisq; quodammodo ingenii uidetur, in eo uno acquieſcere, quod ſine mali recordatione eſſe non poteſt. oportet igitur, aut tecum ipſe diſſentias, aut hoc non

dolere nullius momenti esse fatearis. qui enim potius te iuuet boni, quàm mali memoria torqueat, sed quæras forsitan de me utrum possit dolorem effugisse recordanti, aliqua delectatio ex eo ipso succurrere. quid ni? ergo, & uoluptatem præteriisse cogitanti molestum est. at is alterius potiundæ spem habet: alterius igitur, & ille impendentis doloris metu non uacat. quote cunque conuertes tuis te laqueis implicabo, donec suam corpori uoluptatem relinques breuem atque exiguam nimis præut quisquam in ea suam uoluntatem studiumq; defigat, quum præsertim ea carere multo facilius sit, multoq; salubrius; quandoquidem haud modico quæritur: neque enim in oleribus tantum, & pane cõsistit. tot autem secum aduehere solet incõmoda, tot corporis agitationes, tot animi æstus, ut beatus ille potius haberi debeat, qui nulla unquam uoluptate tangatur, quàm qui omnis doloris, si modo id fieri possit, expers atque immunis existat. nam si uelim cõmemorare quot damna quotque erumnas non solum priuatis hominibus, sed maximis etiam regibus atque amplissimis ciuitatibus præclara ista uoluptas quandoque attulerit, dies profectò me citius quàm uerba destituet. quapropter abiecta omni uolupta

tis cupiditate, animum, quæ pars maior ac me-
lior in nobis est, ut decet excolamus. ea enim
summota quattuor insignes maculæ, quæ nati-
tiuum quédam mẽtis nostræ nitorem infuscãt,
deleri facile poterunt, hoc est uana illa, & ni-
mium gestiens præsentis opinati boni lætitia, fu
turiq́; libido immoderata, & rursus præsentis o-
pinati mali ægritudo, ac item futuri metus sine
ulla ratione atque mensura, quibus sane subla
tis, cætera quæ ipsis uelut fundamentis innixa
sunt uitia protinus omnia subuertentur. tolle-
tur in primis auaritia, quæ cuncta simul diuina
atq; humana iura permiscet: ac dũ nihil, quod
quæstui non sit, probat, opesq́; miratur, quas (ut
dicere solebat Bion) donat fortuna, seruat illibe
ralitas, lucrum honori, pecuniã laudi gloriæq́;
præponit. tunc autem liber in animo nostro uir
tuti locus patebit: cuius pulchritudine semel cõ
specta usq; adeo delectabimur, ut nihil ea sua-
uius, nihil iucũdius reperiri posse ducamus. et-
enim quum uirtus bifariã distinguatur, in theo-
reticum, & practicum, incredibile propemodũ
est, quàm dulcem quamq́; amœnum ex se fru-
ctum pariant duo illa, quæ in utroque princi-
pem obtinent locum, idest prudentia siue sapiẽ
tia. quæ multiplici rerum cognitione acquiri-

tur, & magnitudo animi, cuius uis in actione poſita, fortitudine conſtat atque patientia. quippe, quum ipſum uiuere nihil aliud ſit quàm ſcire ac intelligere, quòd uidelicet mortui, ut etiã poetæ canunt, ex lethæo gurgite lõga potent obliuia, mirum eſt, quantum gaudii mens à perturbationibus libera, qui uerus animi ſenſus putatur, ex ſcientiæ uarietate percipiat. argumento ſit, quòd nemo tam ſerio quicquã agit, quin ſi noui aliquid nuncietur, aures ſtatim adhibeat; ac ſuis quamlibet aliena præuertat. hinc quoq;, dum uel fabulas ipſas legimus, quibus fides nulla debetur, quum ad calcem peruentum eſt, mœſti quodammodo librum deponimus. quis enim unquam Iliados ſeu Aeneidos finẽ euoluit, aut apud tragicos Thebis egredientem Oedipum, & Medeam curru alite fugiẽtem uidit, aut etiam apud Ariſtophanẽ Aeſchylum ab inferis remeare, atque apud Plautum Amphitruonẽ, uel alios iam intro abire animaduertit, quin ſtatim neſcio quo pacto triſtior factus, quid deinde ſecutum ſit ſcire, optaret? porrò iſtuc in hiſtoria, quæ facta non ficta narrat, longè magis ſentimus ubi aut Xenophõtis anabaſin, aut Cæſaris commentarios perlegimus. at quanta interim delectatione afficimur, quum apud Hero-

Viuere quid sit.

dotum gesta Græcorum, & apud Liuium res populi Romani, atque apud Diodorum utrunque cognoscimus? uix credi potest quàm libenter situm orbis, & in eo, urbium statum atque originem ex Strabone, ac ex Plutarcho illustrium uirorum egregiè facta dictaq; discimus. quam uerò exhilaramur si quando in salsum aliquod dictum incidimus? non equidem censeo Cardacem Agriantem ue aut Calliam Thrasonidéq; & Thrasyleontem nobiles olim scurras, tanto cum risu ab indoctis fuisse auditos, quanta cũ festiuitate ab eruditis nunc legitur Lucianus. iam rerum causas, & naturæ arcana scrutari, numeros diuidere, uocum differentias notare, dimensionum formas delineare, syderũq; motus ac uim obseruare, tantũ in se habet dulcedinis, ut Eudoxus quum solis magnitudinẽ atq; habitum mathematica ratione collegisset, ad eũ conuersus exclamarit, utinam fierem alter Phaethõ, qui tua causa fertur arsisse, dũ te propius semel agnoscerem. inde etiam Pythagoras quum Hypotenusam reliquis duabus rectũ angulũ claudentibus ex æquo respondere comperisset, præ lætitia bouem diis auspicibus immolauit. Archimedes quoq; à domesticis, ut ualitudini consuleret, nimis ad abacum stare prohibitus radio

atq; aliis instrumẽtis ui extortis, strigili & gutto in uentris cute lineamenta ducebat. idem, quũ esset in balneo, atq; in soliũ descẽdisset, ex aquæ effusione quantum argenti aureæ coronæ, quam rex Hiero faciendam locaret, redemptores per fraudem admiscuissent, depræhẽdẽdi rationem inueniens, statim præ gaudio quasi furens exiliit, domumq; seminudus se contulit, inueni, secundum uiam sæpe uociferans. is etiam captis à Marcello Syracusis, dum magno cum tumultu milites auidi ad prædam discurrerent, cœptas in puluere duci figuras omittere noluit, atq; ita uir singularis dum ignoraretur, est interfectus. prætereo Platonem, atq; alios item complures, qui ut aliquid discerent, magnos labores & multa pericula in peragrando terrarum orbe subierunt, quod eos certè nequaquam facturos fuisse par est arbitrari, nisi summa quædam, & propè immensa delectatio ex disciplinarum cognitione ac scientia compararetur. quid autem, quum non solum intelligendo, ipsi, ut dicitur, in sinu gaudemus, uerum etiam eloquendo ac scribendo aliquid cõdimus, quod ut elegans, & perpolitum in manus doctorũ peruenire posse speremus? equidem multis opinor id usu uenire, quod olim Nitiæ cõtigit, dũ Homeri Necyiã

Nitiæ athe

ex Odyſſeæ undecimo pingeret. tantum enim tum opere ſuo, tum eminentiſſimi uatis inuento delectabatur, ut ſui planè oblitus, famulos identidem interrogaret an eſſet pranſus. nunquā profectò Demoſthenes attōſis turpiter parte altera tantū capillis, ne domo exire ſodalium precibus cogeretur, tam diu in ſubterranea illa teſtudine cōmentari uoluiſſet, niſi iā inde à puero ex pulchra illa Calliſtrati de Oropo actione cui forte interfuerat, deguſtaſſet quantam in ſe haberet ſuauitatem ea bene dicere, quæ quis ſapienter excogitaſſet. dixerit aliquis, nō ſine grādi labore ad hanc ſcientiæ iucunditatem peruenitur. quin tu igitur aliquam ſine labore uiuendi rationem affers? ſed amabo te ne fruſtreris operam uide. etenim ea homini à natura lex dicta eſt, ut ſiue ad perſoluēdum quoddam ueluti naſcendi portorium, ſiue ob lucis huius uſuram, donec uixerit, perpetuo in labore uerſetur. proinde, nunquam interdiu ceſſat agricola, diu noctuq; nauta iactatur, ſudat eundo miles, imperatorem cura dormire non ſinit, nec quiſquam omnino reperitur ante poſtremum diē, cui non ſit aliqua in parte laborandum. ac non ſolum homines, uerum & cætera quoque animantia uitam laborando traducunt. quin etiam

Labor.

mundus ipse, ac quæ in eo sunt omnia, suos obeút labores. cœlum enim assidua uertigine annum in quattuor horas distinguit; auræ per uices secreto quodam inter se perflant fœdere. decurrunt flumina; refluit mare. terra, quam stare putamus, sensim tamen & ipsa mutatur, atque quotannis ad nostrum usum innumerabilia pene` stirpium genera procreat. itaque, tantum abest, ut laborem fugiendum existimem, ut sine eo nihil boni esse contendam: quando si noctis uicissitudiné deus aliquis auferat, quid deinceps erit dies? tolle famem ac sitim, lassitudinem remoue; iam nec saturitas ulla grata erit, nec quies. uidit hoc olim supremus uates, quũ duo uasa in uestibulo Iouis esse caneret, è quorum altero mera haurirentur mala, ex altero autem malis bona permixta. nanque, quum tertium illud uas, in quo bona tantum sint, ne Iupiter quidem apud se habeat, qui uirtutem sequuntur (ut Pythagoras etiam sua littera innuit) multos labores suscipiant necesse est, antequã ad amœnissimum illud, ubi ea residet, cacumen ascendant. neque enim ignauus quisquam, sed maxime` laboriosus coronam ex Olympia, aut aliunde florente Græcia reportauit. neq; deliciis, sed multis laboribus Herculem ad cœlum

fama subuexit. omnes deniq; magni uiri nõ sta
tim ex utero matris, sed ex laborum difficultati-
bus, atq; angustiis, prodire consueuerunt. qui ue
rò propter secordiam, laborem atq; industriã a-
uersati, desidiæ ac inerti otio se dedunt, inglorii,
ignobiles, despectiq;, in tenebris uitã pecudum
agitant: ac licet diu nullum incõmodum capiãt,
ad extremum tamen ob quandã rerum uicissitu
dinem, grande aliquod infortunium subire co-
guntur. æquè ut quondã ex nimia felicitate Po-
lycrates in Ionia, & Crœsus in Lydia, quorum al
ter in Orõtis, alter in Cyri potestatem uiuus de-
uenit. quam ob rem nihil de sciẽtiæ iucunditate
labor detrahit, utpote quum illi, necessitate qua-
dam naturæ adiunctus sit, ceu nucleo putamen,
aut spinosus odoratissimæ rosæ caliculus. uerũ
enim, ut omnibus à natura scire gratissimum est,
ita optimus quisq; laude ac gloria maxime dele
ctatur: quæ quoniam ex periculorum functiõe
amplissima prouenit, animi magnitudo iuxta
atq; sapientia, inter uirtutes putatur excellere. ic
circo ueteres, in harena, fortitudinis & patiẽtiæ
exempla spectantium oculis proponi uoluerũt;
quemadmodum è scena prudentiæ documenta
populi auribus infunderentur. has enim cæte-
ræ uirtutes, in quandam uelut cathenam anne-

xæ, consequi facile solét. sed quanquam in dubium uenire potest, utrum plus iuuet, multa intelligere an præclara facere, utrunq; tamen summam iucunditatem afferre pro comperto habetur. quo enim gaudio plenum fuisse arbitremur magnum illum Alexandrum, quum ad Arbela Dareũ per uirtutem uicisset, eoq; prælio totius Asiæ imperium sibi quæsitum esse cognosceret? quo C. Cæsarem quum ad Alexiam immensas illas Galliæ totius uires, quæ ad obsistendum uniuerso propè terrarũ orbi satis esse possent, eumq; iam toties armorum strepitu terruissent, ex sua uirtute puncto temporis uideret accisas? quo Thrasybulum triginta tyrannos Athenis, & Brutum Tarquinios Roma pellẽtem? quo etiam Aratum Sicyonem patriam liberando, ac Ciceronem, sua ne opprimeretur cauendo? quo deniq; Timoleõtem (ducum meo quidem iudicio facile principẽ) quum nõ modo Syracusas, ut antea Dion, in libertatem assereret, uerum etiam multa Carthaginensium millia, manu admodum parua, de Siciliæ totius longa possessione deiiceret? mitto Epaminundæ Mantineam, Themistoclis Salamina, & aliorum insignes uictorias, quas certè ut quærerẽt nunquam tot clarissimi uiri suas fortunas in

ultimum discrimen adducere uoluissent, nisi & perpetuam uiuis lætitiam, & mortuis sempiternam gloriam parerent: nec singulis tantum iis, quorum uirtute constarent, sua cõmoda suaq; ornamenta impartirentur, sed ciuitates etiam uniuersas ac populos gloriæ suauitate replerent. meminerunt enim Athenienses, magno ludorũ apparatu ac pompa, quotannis, eius diei, quo innumerabiles Persarum copias pauci fortissime dimicando ad Marathonem duce Miltiade superarant, deosq; patrios ulti uirtutis suæ monumenta in omnem posteritatis memoriam peruentura reliquerant. meminerunt itidem Phocenses eius diei quo ad Hyampolim duce Daiphanto uictores euaserant. Thebani quoque ac tota Bœotia Leuctricam pugnam Pelòpidæ auspiciis tam strenue quàm feliciter initam, dum licuit, solenni gaudio atq; hilaritate celebrarũt. non me fallit obiecturos esse nonnullos uitæ istuc periculo tentari, qua uidelicet temere amissa, nullus pœnitentiæ locus relinquatur, quasi uerò ulla sit adhuc inuenta ratio, qua uitam possimus nostro arbitratu producere: aut sine periculis usquam possit homo consistere. nempe, Diogenes crudi Polypi comestione, Sophocles siue Anacreon uuæ acino, Eurypides canum morsu,

Aeſchylus in caput lapſa teſtudine, atque alii aliter imbelles quamuis homines uiolenta morte perierunt. ſed prudentes nimirum ii (ut ſibi uidentur) & cauti. fatuus Socrates rerumq; naturæ ignarus, qui ter miles, bis in acie pugnauit. ſtultus Xenophon, qui ex Athenarum ſcholis ad Cyrũ in Aſiam atq; ad inuictiſſimi exercitus ſalutem profectus eſt. O' cæcos homines, qui ſe malint febri cuipiam reſeruare, quàm (ſi res poſtulet) aliquid audendo ab æterna obliuione ſuum nomen eripere. felices profectò illos putare debemus, & ſolos propè quibus naſci ex uſu fuerit, non modo qui uincendo ſuperſunt, ſed etiam qui per uirtutem cadendo, uitæ huius breuitatem cum gloriæ diuturnitate permutãt. quantum enim in ipſis eſt, uincunt, aut certe inuicti ad extremum uſque ſpiritum permanent. nam uiuere, aut mori, quum omnes uſurariam minimeq; in noſtra poteſtate conſtitutam animam habeamus, fatorum neceſſitate contingit: uincere autem, aut uinci, uirtutis eſt aut inertiæ. quippe quum uictoria fortunæ arbitrio ſemper alterutram in partem inclinet, eius potiundæ facultas penes hominem eſſe non poteſt. quod autem quæritur id ſtrenuus quiſq; ſolet ex ſua uirtute præſtare: hoc eſt reſiſtere, ordines ſeruare

nihilq; nõ potius eodem in uestigio experiri quã uigore animi cedere. ad hæc non quam sors tu lerit pigri ac desides mortem ex pectant, sed optimam ipsi, & pulcherrimam eligunt. quatenus in ipsa uictoriæ spe gaudii plenam absque ullo pene sensu animam efflant. eaque omnino aliena propriam sibi laudem mercantur. atq; ita cum multis nati mortales, cũ paucis gloriæ immortalitate nunquam senescẽtis fruuntur. qua si nominatim prius celebritatem aliquã habuerint, eam mirum in modum augent, sin minus, ex ignobili uulgo ad nobilem numerum transeunt. nanque claris aut obscuris natalibus in hanc lucem prodire non magis ullius est, quàm locum, aut diem ad nascendum eligere: gloriosam uerò mortem oppetere per uirtutem quilibet potest, secundum quam non in sepulchris maiorum paruo momento uitium facturis, sed in totius posteritatis æterna memoria condatur. nec breui tantum in marmore incisum elogium habeat, sed in amplissimis annalibus scriptum, quorum opera ubique gentium, quo aliquãdo litterarum monumenta peruenerint, nobilitatẽ ac famam uirtuti debitam consequatur. insuper ingentes plerunque miserias morte præueniunt, neque afflictis rebus patriam diripi, do-

micilia incendi, parentum canitiem cruore fœdari, liberos, & coniuges è complexu abstrahi; carissimasq́; necessitudines in seruitutem abduci uident. neque ipsi locum exilio quærentes ea mala pati coguntur, quæ Lacedæmoniis in aciē prodituris lege sancitum erat, ut semper ex Tyrtæi uersibus in prætorio recitarentur: quibus auditis, aut uictoriam, aut certè honestam mortē sibi proponerēt. huc etiam pertinet quòd ferè id ætatis de uita decedunt, ubi iuuētute trāsacta, quemadmodum canit Antipater, ne uiuere quidem amplius expedit. siquidem ingrauescēte iam ætate nihil præter corporis morbos, & uarias animi ægritudines atque molestias expectari oportet, quibus senes queruli, tristes, morosique effici consueuerunt. uitio sanè consuetudinis factum est, quando statim uelut è nutricis ubere plus prauæ opinionis quàm lactis exugimus, ut mortem miseriarum extremum putemus. unde ipsa etiam silicernia, ut Terentiano utar uerbo, quum efferuntur lachrymis prosequamur, deflorentis uerò ætatis iacturam, quæ nitorem corporis totius ac speciem delet, uires eneruat, sensus obtundit, uerumq́; quodammodo uitæ usum intercipit, ut Theognis faciēdum potius censet, minime deploremus. etenim

multi non ſatis memores eorum, quæ uiuentibus nobis iucundiſſima gratiſſimaq; uariis ſubinde caſibus, & ipſo temporum lapſu auferantur, propterea mortis nomen horreſcunt, quia interire, ſenſum amittere, cariſſimis quibusq; priuari, nunquam renaſci, formidinis ſunt plena uocabula: quæ uulgus perinde timet ac ſi quæ hominis ſint, ad non hominem etiam pertineat. haud Hercule magis poſt mortem, quæ hic gerãtur, quiſquam ſentiet, quàm ego tot annos antequàm naſcerer, aut uaſtantibus hãc regionem Hunnis indolui, aut urbis huius Liguſtica uictoria lætatus ſum. quãdoquidem corpore hoc in morte depoſito, eorum quibus nunc ipſius cauſa ualde afficimur, ſicut nullus supereſt uſus, ita & deſiderium tollitur. ſubit certe uiuentibus etiam nobis rerum cum ſua ætate præteritarum ſatietas quædam atque obliuio; ut nucibus ludere, quod pueri libentiſſime faciunt, adoleſcentes nõ multum probant, uiri etiam fugiunt. nec eadem omnino ſenectutis eſſe ac iuuentutis ſtudia uidemus, quo facilius credi poſſit; quæ uiuorum ſint, à mortuis planè contemni. nã liber hac mole animus, huc illuc per immenſa mundi ſpacia uolitat, ſtelliſq; interim ſui ſimilibus aſſiſtit; uel (ut recentiores melius opinantur) Dei

opt-

optimi maximi consortio fruitur. neque enim mihi persuadere unquam possint omnes Italicæ simul et Ionicæ sectæ philosophi, rhetorésue aut sophistæ, si id contendant, hoc, quo tantum audemus, tamq; multa & uaria intelligimus; ac cœlum, maria, terras, eodem momẽto percurrimus, esse mortale. quanquam si id credidero, minus etiam uitæ cupidus fiam. quoniam tot malis, quibus ea undique scatet, unicum uidebo in morte finem, unicumq; remedium. an nõ inuitũ se ad hanc quasi peregrinationem detrudi animus noster nascendo statim lachrymis & uagitu significat? mox uero paulatim cũ corpore, quadã uelut sodalitate cõtracta, originis suæ oblitus eò unde uenit redire nõ curat. ideo etiã unusquisque sua sorte nequaquam contentus alienam semper exoptat, quòd uita certe grauis est omnibus. quis autem unquam tanta dicendi facultate, tantaq; memoria sit, ut singula uitæ mala dinumeret? longe plura mediusfidius ea sunt quàm quot Hegesias, Prodicus, Alcidamas, Xenocratesq;, & alii suis in libris cõmemorare potuerunt. non utiq; immerito poetæ uanitatem uitæ humanæ ludentes, eam modo fumi umbram, modo umbræ somnium uocant. alias caducis foliis uentóue aut uestigio currentis

per mare nauigii assimulant. nonnunquam etiã quiduis aliud quàm hominem fieri satius esse cõtendunt. pictores quoq; aliquot nudũ quendam super lapide rotundo stantem, talaribusq; instructum, & libram manu agitantem, inconstantis ac fragilis uitæ huius imaginem esse uoluerunt. quid multa? bullam esse hominem in prouerbium abiit. est igitur mollities quædam uiro indigna, mortis mentione terreri; quum præsertim omnes tãdem aliquid ac multo plures, ut dicitur, crapula quàm ferrum occidat: pluresq; etiam, ut non semel ait Homerus, stando atque audẽdo, quàm cedendo ac fugiendo seruentur. quapropter, si adsit occasio longè præstat morte gloriam quærere, quam per ignauiam turpiter uiuere. nam uita hominis ic circo breuibus spaciis naturæ prouidentia continetur, ne diu quenquam suis malis excruciet. malorum autem plena est, ut eis agitata uirtus eniteat, cuius ui prorsus diuina, initium quoddam perpetuo uiuendi ex hac luce sumentes, ineffabili gloriæ suauitate, quæ uerè ambrosia est, cum diis in æternum perfrui possimus. quæ quum ita sint, quis reperiri queat usque adeo uecors, ut Laidos alicuius seu Phrynes noctẽ, cœnámue quampiam Sybariticam, aut Syracusa-

nam cum tanta uirtutis atq; honestatis dulcedine conferat? quæ, ut planum fecimus, & in cognoscendo, & in agendo tantopere delectet? nemo sanè, ac multo minus ille qui liberaliter natus atq; institutus esse uideatur. Vos itaque iuniores appello, quibus ætas adhuc in lubrico est: uirtutem propter ipsius pulchritudinem capessite. nec lucrum ante alia, ut nonnulli hodie faciunt, in litteris etiam quærite, sed sapientiam in primis, qua tum cætera cum dignitate obire, tum rempublicam prudenter ac fortiter administrare discatis; sicut in Academicorum libris Anaxagoras, die sibi à Clazomeniis dicta, quòd nimium philosophetur, se non id agere ostēdit, ut secessu & otio inutilis reipublicæ fiat, quemadmodum aduersarii contenderint, uerum doctrina, studioq; inuestigare quo pacto queat ei plurimum aliquando prodesse. quum enim reliqua animalia partim coriis, & ungulis, partim aliis munimentis instructa, ut seorsum ac per se uiuerent natura formarit, homines uerò ita undique spoliatos finxerit, ut dum alter alterius opera egeret, per se quisque minimum posset, societatem hanc, quam natura duce coimus, quáque tantum ualemus, pro uirili iuuare omnes tenemur. at quia ciuitas quælibet, tametsi ut na

uis multa in se habet officia, multaq; ministeria; nulla tamen re magis quam sapientibus uiris ac fortibus indiget, propterea quod duo alterna sint, quæ ipsam uarient, pax & bellum: summa ope niti debetis, ut domi, in pace, prudentes pariter & eloquentes, in bello ac foris magnanimi potissimum esse possitis. porro hanc facultatem eo duntaxat litterarum genere comparari quod proprie humanum uocetur, id est ad hominem maxime pertinens, multis equidem argumentis alias declaraui. quoniam scilicet eo tum eloquẽdi ratio, tum uirtutum omnium, ac præcipue magnanimitatis exempla continerentur. quam autem id absq; græcæ linguæ cognitione imperfectum penitus, & mancum sit, nemo hac ætate iam dubitat. quare dũ præsto est, qui uos publice, priuatimq; fideliter ac ingenue doceat, græcis litteris studiorum uestrorum partem impendite, atque per horam quotidie hũc locum inuisite. nequaquam uero hæc mea causa potius quam uestra dici putetis. siquidem honoris, cuius gratia, ut uerum fatear, posthabitis maioribus emolumentis hoc munere apud uos fungi uolui, per quadriennium iam mihi satis quæsitum est, quotidieq; aliquid ætas ad-

iunget; ac nisi me fallit opinio, citius quempiã fortasse mei desiderium quàm tædium capiet. sed cunctantibus uobis, discendi tempus, atque oportunitas elabetur; quod ne fiat dum in uestra manu est, operam quæso diis bene iuuantibus date. Dixi.

M D X X I I

Mense Octobri.

Errata ſic corrigi debent.

car. prima à tergo uerſu .xvii. ſuma, tque pro ſum atque.
car.ii.uerſu.xi.ſaltim pro ſaltem.
car.xyiii.à tergo uerſ.xi.agendæ pro augendæ.
car.xxi. à tergo uerſ.i.con ſiſteret pro cõſiſteret.
car.lj.à tergo uerſ.ix.inſitionem pro inquiſitionem.
car.lvii.à tergo uerſ.xiiii.cædit pro cedit.
car. lxii.à tergo uerſ.xyi.faceret,antiſque pro facere tantisq;.
car.lxiiii. uerſ.xxy.atqu pro atque.

REGISTRVM


* A B C D E F G H I K L


Omnes ſunt quaterniones præter * qui eſt ternio & L duernio.


APVD ALDI FILIOS.

VENETIIS.

M D L I.


AL DVS





5.50c